g. g. g.
d
Ho

PP
n
26

M
a 741

The Library of the
Wellcome Institute for
the History of Medicine

MEDICAL SOCIETY
OF
LONDON
DEPOSIT

Accession Number

Press Mark

TESTI, L.

T7

DE NOVO SACCHARO LACTIS

Inuentore

LUDOVICO TESTI REGIENSI,

M. P. Venetijs.

Quorundam præſtantiſſimorum Medicorum iudicia, & rariſſimæ Obſeruationes.

Quibus additur eiuſdem Auctoris de eodem Saccharo relatio, noui Syſtematis compendium, necnon pro abſoluenda Arthritidis curatione duorum preſtantiſſimorum remediorum notitia.

Illuſtriſſimo, & Excellentiſs. D.D.

PETRO MICHAELI

PATRICIO VENETO.

Domino meo Clementiſſimo.

VENETIIS, M. DCC.

Apud Iac: & Io: Gabrielem Hertz.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS: ME ET Excell. me Domine.

SVis quamquam ſuffultum experientijs, quas Docti plerique facere, eaſdemque narrare ſatagerunt, nouam erumpat in lucem, typis meis editum, SACCHARVM LACTIS, triumphali quidem facie, deuictaque Arthritide glorioſum: ſplendidiùs tamen illud, eoque auguſtius apparebit, vbi Excellentiæ tuæ tutelari fretum

Nomine ac Numine fulgeat)
Acturum me ſuperfluè credide-
rim, (quod & nemo certè non
norit, cui tua conſuetudine ac
patrocinio perfrui fors tulerit)
qui preces precibus, rationes ra-
tionibus augeam, quò animum
tuum ingenuum, ſinceramque
mentem euincam, vt Libellum
iſtum nobilibus auſpicijs fouere,
ingenita dignatione non renuas.
Satis etenim conſtat, præterquam
quòd tuum eſt Veritatem ſemper
conſtanterque tueri, (vt & Rei-
publicæ Magiſtratus, geſtique
Honores teſtantur) frequentem
te in laudibus commendandi Me-
dicamenti præconem eſſe, quod
aduerſus Arthritidis ſæuum Mon-
ſtrum acriter, & inſigniter va-
leat. Eatenùs certè, dum tuo in
corpore graſſaretur, inuincibile
illud viſum eſt, quatenùs vel Ma-
iores tuos dilaniare aſſuetum,
auita violentia furens, ac iure
quaſi originario præpotens, ob-
ſtante iam nemine, tyrannidem
ſuam exercebat. Quod nihilomi-
nus

nùs uoui SACCHARI hauſtu in-
opinantèr deuictum, ſubactumque
adeò vidiſti, vt non iterùm iam
iterùmque quotannis, (quod mo-
ris fuerat) ſed ſemel tantùm poſt
tredecim quouſque, ſeu quatuor-
decim menſes accedat: irrito ta-
mèn ad dies paucos conatu, caſſis
viribus, nulliſque doloribus cru-
cians. Sicut igitur ex LACTEI
SACCHARI, quo gaudes, bene-
ficio, præſignis Medicamenti Se-
reniſsima in Vrbe primò ſe Fama
diffudit: vt quæſitiſsimis inde to-
tius fermè Italiæ experimentis in
immanem inuictumque hactenùs
Morbum remedio eſſe conſtiterit:
ſic Tu, quod Tuum meritiſsimè
dici poteſt, dedicatum munus
agnoſce ac protege, in honorem
Dei, in iuſtitiam operis, in tute-
lam veritatis, in iudicium obtre-
ctantium, in profectum tandem
noſtrum, exterorumque. Vale,
cui fauſtos adprecatur annos

Excellentiæ Tuæ

Humillim. atque addictiſſ. Seruus
Georgius de Burgis.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

PRoſperè factis per diuerſa Italiæ loca, de SACCHARO LACTIS contra Podagram experientijs, eiuſdem mirari virtutem plerique Medicorum cepere. Quorum quidem aliqui eruditas obſeruationes; epiſtolas alij gratulatorias, typis hinc inde mandarunt. Harum autem nonnullas, latinas palanteſque, in vnum colligere libuit, (relictis æqualis ponderis alijs, quæ vernaculo Italorum idiomate feruntur) in Exterorum vtilitatem. Noui equidem ſpectatos alios Medicinæ Magiſtros in huiuſmodi Inuentum lucubrationes varias concinnare. Sed haud trahendas in longius moras arbitratus ſum, nec vltra expectandum: vt quantociùs diſ-

ſitas

ſitas etiam regiones immani theſauro ditarem, ad hæc vſque tempora abſcondito, perque inſignem virtute Virum LVDOVICVM TESTI adinuento. En igitur tibi, Candide Lector, perbreuis de SACCHARO LACTIS notitia; donec ab ipſo fonte, Auctore ſuo, pleniùs ac dulciùs totam doctrinam exhaurias. Huius Sacchari vim, doſim, methodum, differentias, experimenta plura percipies. Cui ſimul adduntur portentoſa alia duo remedia: BALSAMVM nempè, & AQVA, antipodagrica ambo, ſæuiſſimique morbi deſtructiua. Tu fortè pretioſa hæc pharmaca cupis, & procul Venetijs diſtas? Amicum, Negotiatorem, aliumue quempiam, cui ſcribas, quique tibi ab Auctore prouideat, hic habeas & quæras neceſſum eſt. Auctorem namque ipſum (LVDOVICVM TESTI) epiſtolis tuis primò adire, minimè faciendum commoneo. Nimium illi oneris, nimium ſumptuum incumberet, vbi tot litteris vndique confluentibus ſatisfacere teneretur. Vale.

Programma.

Ludouicus Teſti Regienſis, apud Venetorum
Rempublicam medicans.

ANAGRAMMA PVRUM.

Ceù Numen eſt: ab vſu enim
modici Pulueris Lactis
medetur Podagris.

DISTICHON.

Eſt Hìc ceù Numen: Lactis nam Puluere tollit,
Quod nullus potuit tollere in Orbe Sophus.

In perpetuæ obſeruantiæ monumentum.
Ioan: Baptiſta Nuccarinus M. P.

DE ARTHRITIDE DISSERTATIO

AC DE

SACCARI LACTIS

Uſu Obſeruatio ad

Excellentiſſ. Eruditiſs. ac Sapientiſs.

D. LODOVICVM TESTI

Philoſophiæ Medicineque Doctorem, ac eiuſdem Saccari Ingenioſiſſimum Auctorem.

ALOYSI A' FABRA

Philoſoph. Medicinæque Doctoris, ac in Almo Ferrarienſi Patrio Lyceo Lectoris Ordin.

MORTALIA viuentium genera contemplatus Hemerus exclamauit. *Nil Homine in Terra ſpirat miſerum*. Et ſanè nulli inter Viuentes ſub morborum onere magis grauantur, ac miſerimè torquentur, quam homiñes. Hoc in dies ſatis edocent Arthritici, qui à doloribus dirè vexati, pro eorum ſæuiſſimis cruciatibus eruen-

dis ſuffragia petentes, nil è Mari, nil è Terra, quod minuat, valent obtinere: Vnde cum, ab hoc eruditi, fateantur, non poſſe Hominem par eſſe dolori, neque rationi dolorem, ideo Superis tantummodo fidem precibùs, & votis demittentes, affictiſſimæ eorum ſenſationi cognoſcunt leuamina. Aſt Cælum ab infelici humanitatis ſtatu commotum inter Medicinæ arcana huius tanti morbi creauit euerſorem; Tibique Eruditiſſime, ac Sapientiſſime Domine hoc optatum conceſſit, vt ſapientia, qua ab eò inſigniris, præclarus de eo auctor his noſtris diebus luculenter erumpas.

Morbus hic græco Arthritidis nomine gaudet, qui à Latinis ratione loci, in quo diros ſuos promouet Affectus, Articulorum dolor appellatur: A Barbaris verò impropriè vocatur gutta, cum guttatim à materiæ affluxu ad partes produci credebatur. Et quia ſub Italico Cœlo antiquitus non inſæuiebat; hinc eſt, quod Latino particulari non inſignitur nomine: Unde Plinius in lib. 16. cap.x. dicebat. *Podagræ Morbus rarior ſolebat eſſe non modo Patrum auorumque, verùm etiam noſtra peregrinus ætate. Nam ſi Italiæ fuiſſet antiquitus, Latinum nomen inueniſſet.*

Sed poſtquam inter Italos (dicetur cum Seneca) quantum rerum per vnam

gulam

gulam tranſiturarum permiſcuit Terrarum, Mariſque vaſtatrix luxuria, & adeo peruerſum commentæ genus impudicitiæ inuit viros, inexplicabiles, ac diuerſi, non ſingulares oriuntur morbi. Vnde cuicumque de tot morbis obſtupeſcenti reſpondet Seneca. *Innumerabiles eſſe morbos miraris? Coquos numera. Scias putreſcere ſumptas, non concoqui*. Et cum vtrique ſexui his noſtris temporibus communis ſit hæc laxata viuendi ratio; vterque iuſtò ab arthriticis inſultibus dilaniatur; vnde cum Morali prædicto licet concludere: Cum tot Fœminæ podagrigæ, caluæque ſint, quod ſolis erat hominibus, comprehenſum in mendacio Hippocratem maximum naturæ peritiſſimum accuſant: aſt beneficium ſexus ſui vitijs perdiderunt; non minus enim peruigilant, non minus potant, & epulis prouocant viros; ideo natura Fœminea exutæ, meritò virilibus morbis & ipſæ damnantur.

Premit vndique idcirco Arthritis, & vt plurimum per nunc certos, nunc per vagos poroxyſmos quemuis ſexum inuadens triplici ferino dolore, nempe vel pungitiuo, vel lacerante, vel pulſante circa vnum vel plures articulos deuagans, & ligamenta eos colligantia, perioſtium capita articulorum inueſtiens, plerumque vel cum tumore

eriſypelaceo, vna cum ingenti ardore ac dolore; vel tumore ædematoſo colore pallido, ac obſcuro dolore, ſolet affligere: Hinc eſt quod à nonnullis vulgò in calidam, & frigidam paſſim deſcribitur diſtincta, quæ diuiſio refellitur ab eruditiſſimo Hermanno Buſchoſio in libel. conſcript. de Podagra: per moxam curand. ſtatuente, calorem haberi tamquam ſymptoma ob dolorem productum ab extenſione membranarum; ideoque tantummodo eſſe Frigidam Arthritidem nititur probare.

Quæ vel eſt hæreditaria, vel aduentitia; & plures inuadens generaliter articulos Arthritis appellatur, & pro vt particulares inſectat partes, partiali gaudet nomine. Quapropter ſi manum premit, Chiragra dicitur; ſi pedes, Podagra, ſi circa femoris Articulationem, Iſchias nuncupatur; quibus additur à Pereo in lib. de Arthrid. cap. I. quod ſi genua affligit Conagra; ſi maxillæ articulos ſyagonagra; ſi Clauiculam Cheyſagra; ſi dorſi ſpinam, Rachyſagra; ſi humeros, Homagra; ſi Cubitus, Pechyagra eſt appellanda, quibus quoquè nonnulli addunt Odontolgiam, ſi circa dentes; & Tracholagram, ſi ceruicem cruciat.

Hìc Morbus vt plurimum cum febre, vel præcedenti, vel cum eo inuadente,

modo

modo intermittenti veſpertina; modo continua periodica torquet ægros, quamuis is vel breuis, vel chronicus; nouitius, vel veteranus; crudelis vel mitis exiſtat; vel longis aut paruis interuallis reccurrat; pro vt communitèr ſapientiſſimi omnibus ſupradictis aſſentiunt Practici.

Aſt quia non aſſignant, quomodo materia Arthritidem, cauſas in & circa articulos exuperet, cum tantummodo hanc per arterias; vel vt alij per neruos ad articuloſas partes deonerari, edoceant; ideo in huius tanti Morbi deſcriptione præclaros viros in aliquibus mancos fuiſſe, ſummoperè ſuſpicatur: Quoniam ſiuè ſit humor crudus, & pituitoſus è capite fluens cum Galeno: ſiuè ſalia fixa alchalizata à nutritio penu per arterias, & volatilia acetoſa à liquore nerueo per neruos, vti Vvillis: ſiue humor tartareus è liene, & hepate genitus per Sennertum: vel tartarum ex comeſtis in ventriculo non ritè elaboratis, vti Paracelſus: ſiue ſuccus pancreticus, bilioſus, ac lymphaticus è ſanguine partibus delatus cum de le Boe Syluio: vel ſerum ſanguineum ſulfugineum acerrimum, & mordax inſtar piperis iuxta Memotij mentem: vel per Behm patrilaginem vrinoſam: ſiuè acidum volatile ſpirituoſum ſpiritui influo ſpecifici ſaporis coniunctum, vti Teche-

nius, & Ettmulerus: vel cum Helmontio acidum in ventriculo ſemper Archeum affligens: vel cum alijs alias adducentibus cauſas, eccepto ſucco nerueo ſecundum lunghen cum Glyſſomo alijſque ſucci neruei patronis; nam ſi flatulenta, acri, ac fuliginoſa ſis præditus natura, pro vt ab eiſdem deſcribitur, pro huius Morbi promotore iuſtò non habetur; nam antequam ad articulorum partes pertingeret, ſpaſmodicas in toto neruoſo genere affectiones immaniter produceret, & eo magis cum de eius eſſentia, exiſtentia, & vſu ſumma ſuſpitio habeatur; [quoniam ſub inſigni lymphæ, vel ſpiritus animalis à nonnullis inſcribitur] attamen, quomodo eiuſmodi ſucci ſeparatio in prædictis partibus eueniat, ab eiſdem ſapientiſſimis viris ſilentio comitti videtur: Helmontius tamen, Paracelſus, Tachenius, Ettmulerus, & alij Synouiam aſſignando, cognouere vnum dari ſuccum præter aſſignatos congruum pro hoc phænomene explanando: quæ ſynouia per prædictos nil aliud eſt, niſi mucilago pellucida ab acido ſalino inſenſa: ſecundum autem Ettmulerum, Ros ex chyloſa dulci materia orta inter iuncturas depoſita pro earundem lubricitate: Aſt euitando quomodo hæc ſynouia circa articulos ſeparetur, idoneum omitti videtur.

Aſt

Aſt non ita ingenioſiſſimus Clopton Hauers, qui in ſuo tract. de Oſteolog. noua ſiue de obſer. oſſi. & part. poſtquam nutritias glandulas, ſic ab eo appellatas, in ſingulis corporis partibus enutriendis exarauit, ac accuratiſſimè deſcripſit, ſeparantes illum gelatinoſum ſuccum olitium decurrentem vna cum ſanguine per arterias ad cunctas corporis partes (vti etiam ab accuratiſſimis, ac præclaris viris Malpighio, Vuilliſio, ac ab alijs alter ab Ichore rubicundo deſcribitur) oſtendit in diſcurs 4. alias ſtudioſiſſimè reperiſſe glandulas in, & circa ſingulos iuncturarum articulos locatas (quæ etiam quibuſdam articulis, ſed non ſedulò in omnibus inuentæ fuere à famatis: Thoma Vvartono, pro vt in ſua Adenographia ab eo notantur) nec non in generali membranoſo corpore muſculos inueſtiente, quæ à liquore mucilagineo, quem ſeparant, muciloginoſæ ab eo appellantur.

Et ſane ab hoc tanto viro eruditus, horis otio deditis nonnullas circa Brutorum articulos obſeruationes expleui, nec incaſſus fuit labor, nam multas inſigniores in Boum iuncturis, quæ à doctiſſimo viro notantur, ad amuſſim reperi glandulas: cæteræ vero, quæ tantummodo, etiam eo ſcribente, acutiori perſpicillo, ac accuratiſſimo Microſcopio, ſummaque ſolertia de-

teguntur, abditæ mihi fuerè: Et quamuis in nonnullis Cuniculis, Leporibus, & Canibus, præter inſigniores, aliquam inueni glandulam circa digitorum pedum articulos, attamen quia non in omnibus, & non ſemper in eodem loco in cunctis eas detexi, ideò vel inter morboſas deſcriptas à Vvartono, vel vt veritati propinquius, inter glandulas membranoſas cum Hauers plus iuſtò aliquo liquore repletas, ſuſpicanti, potius mihi arriſit eas aduertere, quam in non tuto aſſerere: ſufficit enim tanti viri fides inter tot anathomiitos purgata labores, vt in & circa quoſuis etiam minimos articulos minimas illas ab eo deſcriptas locari glandulas, vt in ſumma hac re certior exiſtat animus.

Sicuti certum eſt omnes prædictas inſigniores glandulas eſſe conglomeratas, quarum aliæ ſex, aliæ quinque, & aliæ quatuor glandulis veſſiculoſis rotundis, vti pulmonares, præditæ ſunt: Et quamuis vnaquæque earum propria induatur diſtincta membrana, ita vt ſingulæ ſint vnum glanduloſum corpus veſſiculare, omnes tamen ita ſimul vniuntur, ac aliæ alijs inſeruntur, vt à communi membrana, præter propriam, arctè omnes circumuolutæ in vnum duriuſculum reſultant corpus. Hæ communi membrana denudatæ, molles, teneræ, friabiles, ac papillares

pillares apparent, non adeò tamen vti Epatis, Lienis, aliarumque ſimilium partium glanduloſa ſubſtantia, quæ leui compreſſione ſoluuntur, ac diſrumpuntur, cum vnaquæque à propria membrana tueatur.

Eiuſmodi ſtructura, totque inuolucris ſimul vnitæ gaudent, vt omnibus motionibus naturalibus obſtantes, nec plus iuſtò comprimi, nec à leuibus externis ictibus lædi, ac diſrumpi poſſint. Traſparenres, & nonnihil rubræ in Brutis extant: in apice verò, ac circa baſim valdè rubræ ob ſanguineorum vaſorum diramationem, qua gaudent: In hominibus tamen, notante ſamatiſsimo Viro, (quas non exaraui) in vniuerſum vndequaque rubræ reperiuntur, magiſque verò circa terminationem.

Quæ Glandulæ iuxta diuerſas articulorum configurationes in quibus ipſæ locantur, figura variantur, ne in motu compreſſiuo iuncturarum lædantur; & ita machinatæ ſunt, vt ad quamuis ſiue inflexionem, ſiue rotationem, aliamque naturalem motionem ab oſſe leuiter compreſſæ, liquorem in ipſis articulis demittant, iuxta exigentiam quietis, vel diuerſi motuum gradus: Hinc eſt, quod hæ glandulæ naturaliter liquore ſemper plenæ conſpiciuntur.

Inſeruntur in his glandulis circa baſim

earum Arteriæ, & apicem verſus Venæ [hinc eſt quod tam in baſi quam in apice colore gaudent rubicundo) Arteriæ rectè, venæ vero obliquè, ac per varios anfractus procedunt, vt liquor ex arterioſa maſſa in prædictis glandulis ſecernendus ac percolandus cum mucilagineus ſit, tardè admodum tranſeat, & vt ſanguinis regreſſus (iuxta ſenſum Hauers) per illas aliquantulum retardetur, & plus moræ ac temporis eidem ſucco ſeparando concedatur.

Gaudent idcircò hæ glandulæ exilibus meatibus ſeu poris, & fermento partiali ſalino, vt liquor eiſdem delatus per prædictos meatus percoletur, ac ſecernatur, quo fit etiam, vt fermenti natura frui neceſsitetur; ideoque vſum habent communem, quem cæteræ corporis glandulæ, ſeparandi nempè liquorem è maſſa, mediante ſpeciali fermento, & earumdem ſtructura, vel pro actione partium in quibus locantur, vel pro vniuerſo inſeruiendo.

Exilibus quoque ductibus excretorijs inſigniuntur hæ glandulæ, vt liquor ex motu articulorum è compreſſis glandulis effluat per eoſdem ductus inter iuncturarum inteſtitia, qui & pro earumdem partium lubricitate promouenda, & eas ab atritione, & incaleſcentia vindicare pro certo habetur.

Hic

Hic liquor exactè & ab Eruditiſſimo Auctore ſcrutatus, denſiuſculus, & lentus, veluti mucilago apparet, ideò à ſimili meritò ab eo mucilago appellatur, quæ ſi pura, & in ſtatu naturali animaduertetur, non abſimilis oui albumini, aſt non tam clara, & lympida, neque ad ignem eſt concreſcibilis, vt illud: è quo patet, hanc è nutritiò ſucco differre, & eo magis, quò ſaporis ab illa albuminis, & nutritij diuerſam ſortitur indolem, cum hæc guſtui ſalſa manifeſtetur.

Hanc mucilaginem non eſſe ſanguinis ſerum, cum hoc lentum, & denſiuſculum non exiſtat: neque Lympham; cum Lympha de ſua natura ſit quodammodo acidiuſcula; hæc verò eſt ſalſa: Lympha in cochleari collecta, & aliquandiù ſupra ignem detenta [vti etiam docet ingenioſiſſimus Malpigius in diſſert.de Polyp. Cord.]in craſſiorem abit gelatinam; hæc verò igni appoſita magis liquatur, prout etiam notauit Hauers.

Aſt cum circa articulorum ligamenta, nec non membranas, & glandulas prædictas copioſa diſſeminentur lymphatica vaſa; & in iuncturarum interſtitijs duo in vnum conſpiciantur liquores, mucilagineus vnus, alter ſeroſus; vti ex collectione liquoris ſtillantis ex reciſo vituli crure quiſque experiri valet, qui igni appoſitus partim

concreſcet, partimque liqueſcet, meritò aſſerendum eſt, liquori mucilagineo aſſociari lympham in earundem glandularum partibus huic muneri deſtinatis, ex arterioſa maſſa licet ſuſpicari ſeparatam, quæ molliorem, ac tenuiorem reddens mucilagineum, à craſſitie eum vindicando, aptiorem efficit ad prædictum munus obeundum: Reliqua verò ab hoc opere per vaſa lymphatica ad ſuos communes ductus iterum decurrere in ſanguineum penum, cum ingenioſiſſimo Schelhamero in ſua Epiſt. diſsert. de lymphæ ortu, & lymphat vaſ. cauſ. licet euulgare: Hinc eſt quod lympha vitiata, & ipſa mucilagineum alterando ſuas circa articulos peragit tragædias.

Oritur hæc mucilago è ſucco nutritio Chyloſo exiſtente, ac percurrente vna cum ſanguine, ſcilicet ichore rubicundo per arterias ad partes, ac cum eo exactè mixto, totamque maſſam vna cum ſero, & lympha conſtituente, ita vt à pleriſque tum Philoſophis, tum Medicis vti pars ſinceri ſanguinis pro certò exiſtimetur; ideò ex ſanguine cunctas nutriri partes, omniaque fluida ex eo per glandulas percolari firmiter ſunt ipſi arbitrati; quod ſanè à veritate alienum eſſe, cum ſuccus alitius alter ſit ab ichore rubicundo, quamnis cum eo exactiſſimè commixtus, ſa-

facillimè cuicumque innoteſcet, ſi attentius cum accuratiſſimis, ac ſapientiſſimis Recentioribus maſſæ circulantis Anathomes inſtituetur. Qui ſuccus nutritius cum vniuerſas particulas omnibus, & ſingulis tum fluidis, tum ſolidis corporis partibus homogeneas, & pro ſingularum partium reparatione, reproductione, ac conſeruatione neceſſarias, mediantibus ritè comeſtis, in sè vberrimè contineat; particulis, & ideò aqueis ſaliniſque fixis, æqualiter, exactèque mixtis, nec non & volatilibus à prædictis ſubactis, è quibus viſciditas, & ſalſedo, ac totum eſſe mucilaginei liquoris dependet, abundè gaudet. Quæ particulæ per arterias glandularum baſi inſertas, eiſdem glandulis delatæ, ab earundem ſtructura partialique fermento [reiectis cæteris ab hoc ſuperfluis particulis] tantummodo eliciuntur, ac per meatus prędictos traicientes, è maſſa cribrantur, ac percolantur; ſuperfluę verò paulatim prædicto modo per venas circa apicem tortuosè diramatas, ab his per reliquas maiores, demum ad cor deferuntur, vt nouo è comeſtis affluente chyloſo nutritio, noua maſſæ circulanti ſuppeditetur materia pro hoc liquore etiam renouando.

Quapropter qualia comeſta, & ordo in reliquis rebus nonnaturalibus, eiuſ-

dem

dem & indolis eſt mucilago; ideoque vitiata chyloſi vel ob deglutita inſalubria, vel ob vitiatum ventriculi fermentum, vel ob ſucci pancreatici, & bilioſi è ſtatu naturali decedentiam, deprauatur, & mucilagineus liquor, è quo articulorum morbi præcipuè Arthritis primo particularis, demum generalis promouetur.

Conſpurcari deindè hanc mucilaginem è myaſmate Gallico licet ſuſpicari, dum & articulorum dolores, & glandularum excreſcentiæ circa articulos, & membranas in ægris à gallico morbo vexatis generaliter exuperant; ita vt membrorum rigiditas, contractio, cæteraque Arthritidi conſimilia in eis manifeſtari videantur: Effectus tamen ſunt diſſimiles ab ea, quia à cauſa diuerſa vterque producitur: Nam à ſalino innominato veneno cum Martino Liſtero, ac alijs gallicus morbus promoueri ſuſpicatur. Arthritis verò à manifeſta cauſa oritur: Hæc periodicè inuadit, & præter tophorum eruptiones, nullæ aliæ in ea exuperant vlcerationes: Gallicus verò ſemel inuadens in deterius ſemper abſque periodo, & interuallo, demum tumoribus, puſtulis, vlceribus, alijſque ſimilibus immaniter affligat ægros. Arthriticum ſeminium mucilagineum tantummodo ſiccum, & partes eidem deſtinatas infectat: Gallicum myaſma totum nutritium,

tritium, cunctaque corporis fluida & partes ſubigit; vnde pro eius ſubiecto totum humanum corpus aſſignatur: Hinc eſt quod in gallici morbi curatione, vt mucilago vitiata, ac in glandulis ſuis ſtagnata liquetur, diaphoreticis exſiccantibus dictis, ac diſcoagulantibus elixipharmacis vtuntur medici; Et quia igni appoſita mucilago in liquorem abit; igni idcircò vel conſimili damnantur ægri à gallico morbo inuaſi, vt à veneuoſa colluuie non tantùm mucilagineum, ſed etiam totam fluidorum maſſam, ac cunctas corporis partes coinquinante vindicentur ipſi.

A diatetico ideo fonte inſalubri Arthritidis hauſtus ingurgitatur: Inconcinnum idcircò non videtur aſſerere cum Paracelſo, de le Boe Syluio, Techenio, Ettmulero, ac alijs, radicem habere Arthritidem in primis vijs, fructuſque ſuos producere in partibus quæ etiamſi ſecentur, nihilominus alias infectarent.

Aſt quia preter vitiatam chyloſim, etiam partium Arthritidi ſubiectarum fermentum quandoque ab alio extraneo deprauatur, & Sylueſtri induitur natura: hinc eſt, quod etiam inculpato mucilagineo liquore inter maſſam, promouetur Arthritis, eo quod in traſcolando Liquor per glandulas fermenti vitio imbuitur, & circa iuncturas

ſuos efficit effectus: Ideò optimè Helmontius, ac alij dixere, è vitio partis Arthritidem dependere, quę à toto reciſa, & ſeparata, vel mucilagineis glandulis deprauatis inuſtis, vti varię de hoc extant hiſtoriæ, Æger ab Arthritide liberetur.

Hinc eſt quod Arthritis alia eſt aduentitia, alia hæreditaria: Hæc à parentibus communicatur genitis, dum ſeminis virilis particulæ volatiliores, ac ſpirituoſiores muliebre Ouum fęcundantes liquore ſeu particulis volatilibus Arthriticis impregnatæ, in carinam impreſſam in cicatricula eiuſdem oui in ipſa fæcundatione imprimuntur [pro vt exactiſſimè à Malpighio obſeruata deſcribitur in ouo fæcundato, ſed nondum incumbato] ac principium quodam ſapiens de fermento, ſeu ſeminio Arthritico tum glandulis, tum Ventriculo fætus communicantes, Arthriticos genitos conſtruunt; Quod idem etiã particulę efformantes Ouum in mulierum ouarijs è matre communicatæ efficiunt: Vnde nonnulli geniti etiam in pueritia contra euulgatam Hippocratis doctrinam ab Arthriticis inuaduntur doloribus, ſicuti contingit ijs, qui, è nephriticis Phtyeis, Gallicis, alijſque ſimilibus parentibus coinquinatis geneſim agnoſcunt. Aduentitia eſt, quæ à ſe rerum nonnaturalium, & præcipuè dietæ ſalubri ordine

dine non ſeruato producitur, è quibus ſi non abſtineant, nouiter inuaſi, de mite in crudelem; de breui in chronicam; de nouitia in veteranam; de longis in paruos interuallos; de vno in plures articulos; demum de vaga in fixam; de plana in nodoſam conuertetur Arthritis: Quoniam a ventriculi fermento pedetentim, & ſucceſiuè vitiato, chyloſis continuò deprauata maſſæ circulanti communicatur, è qua, & liquor mucilagineus in glandulis percolandus vitiatur, ab hoc denique alterato fermentum glandularum prædictarum ſenſim, & ſucceſſiuè ita deprauatur, vt in Arthriticum ſeminium commutatum, articuloſoſas partes mucilagineo liquore Arthritidem producente valeat inficere, quod nec naturali, nec artificiali obediens ſeparationi incurabilis redditur, vnde à parentibus genitis communicatur illa hæreditaria, & aduentitia reſultat Arthritis.

Qui liquor pro vt magis minuſue acido ſalina ac volatili auſtera gaudet natura, [vti à pręclariſſimo Theodoro KerKringio in obſ. 28. ſui ſpicil. Anat. materia arthritica in elementa ſua reſoluta, vti ipſe obſeruauit, ſpiritum ex ipſa elicitum Tartari, & Hamoniaci naturam ſeruare; oleum, & ſal, oleo, & ſali tartari non diſſimile; præter quam quod ſal Arthriticum plus

plus ſaporis extranei ſapere ; eo quod deglutitum ingentem ventriculo tribuit nauſam] tunc vel eriſypelaceus cum ingenti pungitiuo , ac lacerante dolore, calore, ac ardore; vel Ædematoſus cum obſcuro, & quandoque aliquo dolore pulſante abſque ardore conficitur tumor. Nam hic liquor articulorum ligamenta, oſſiumque perioſtia, & per conſenſum etiam muſculorum tendines eius affluxu grauans, extendens, nec non acidis eius volatilibus ſalinis ſpiculis eos ſummè vellicans, quæ partes cum exquiſitiſſimo gaudeant ſenſu ob copioſum ſpirituum animalium influxum, illos ſæuiſſimos parit dolores, qui inferorum ab ægris appellantur cruciatus: Et quo magis mucilago acido ſalino volatili abundat, eò magis craſſior & gelatinoſa fit, quæ diu inter articulorum interſtitia à percepto lento recarcerata remorans, fluiditatem de die in diem amittit, & euolantibus ſpiritibus in ea ludentibus, tunc partes ſalinæ craſsæ arctè ſe vnientes, ac adhereſcentes, in materiam gypſeam ſeu calceam aſſimilantur, à qua Arthritis nodoſa producitur.

In eiuſmodi Arthritide nodoſa tanta calcis, ſeu Gypſi inter articulos coacervatur copia, vt partes non ſolummodo contrahantur, ſed etiam ipſa oſſicula dearticulentur, vti & à Io: Iaco-

bo Vvenceslai Torbrzenſchij notante Bonetto in ſua medi. ſeptent: in quodam militum ducis cadauere Anno 1670., & à me in quodam Mercatore Cremonenſi extincto Arthritico Anno 1693. fuit exactè obſeruatum. Quod autem hęc materia calcea in & circa Articulorũ iuncturas aggregata calcis, ſeu Gypſi omninò ſeruet naturam, liquet ex obſeruat. famatiſſim: noſtri Ferrarienſis Braſauola in ſuis commenta. qui calcem ab eo è iunctura cuiuſdam Arhtritici ad vnciam vnam collectam, aqua ſubegit, à qua lapiduli in ea adapta timore parietis tenaciſſimè non tantùm fuerunt retenti, ſed mox & ipſa in lapideam concreuit duritiem: Ab hoc edoctus & ipſe conſimilem expleui obſeruationem Anno 1690. nam collecta calcea, ſeu gypſea materia erumpens è digitis nodoſis nobiliſſimi ac eccelſi generis Abbatis Bentiuoli ab Arthritide nodoſa ægrè dententi, ac aqua illinita poſt curſum 30. horarum lapideam ſuſcepit naturam, ſumma cum eiuſdem nobiliſſimi Viri, ac D. Ioſeph de Clericis eius à ſecretis admiratione.

Aſt non tantùm in, & circa articulos congeritur hæc calcea materia, ſed etiam in alijs partibus articulationi, & oſſibus non ſubiectis, quoniam in prædicto nobiliſſimo, ac generoſſiſſimo

mo Viro ab ambitu externo ambarum aurium abſque ſanie, & dolore, hæc erumpebat. Ex quo confirmatur obſeruatio accuratiſſimi Hauers, dari ſcilicet etiam glandulas mucilaginoſas ſeparantes liquorem mucilagineum diſſeminatas per totam membranam communem, ita vt vndequaque, eo notante, glanduloſam eſſe, liceat aſſerere, à quibus glandulis particularem muſculorum Hydropem promoueri ſtatuit vir inſignis: intercedit ſolummodo inter has, & articulorum glandulas hæc differentia, quod articuloſæ plurimis gaudent, pro vt dictum eſt, eos circumvoluentibus proprijs diſtinctis membranis; hæc vero tantummodo communem agnoſcunt membranam. Et ſanè alias membranas, præter communem, Perycadium ſcilicet, Tunicam vaginalem, Pleuram omnino eſſe glanduloſas, ſummus ſcrutator detexit Malpighius.

A' Mucilagineo ideo ſucco deprauato, ac diù in, & circa articulos remorante fixa & nodoſa dependet Arthritis, ipſamque nullam admittere curationem iuxta illud tritum: *Tollere nodoſam neſcit Medicina podagram*; à pleriſque euulgatur. Sed medica pia facultas difficultati non aquieſcens ſapientiſſimos ſuos excitauit Cultores, vt naturalia ſcrutantes arcana,

cana, èa elicerent, quæ immaniſſimum hunc hoſtem, nodoſum ſaltem eneruare, mitiorem verò euertere valeant: Ideoque nunc per moxam; nunc per Gnam, ſeù Genam, vel Achænnam; nunc per diuretica, ac diaphoretica, modò per particulares venæ ſectiones, ſcarificationes, veſſicantia, aduſtiones; modo per Pharmaca ſolutiua; nunc per Thermas, Panaceas &c. quamplurimi Sapientiſſimi Medici debellare, oppugnare tentarunt Arthritidem: Saniores tamen inter blandam lactis dulcedinem iuxta Hippocraticum documentum inuenere ſpicula hunc morbum euertentia: Nam diuturno lactis vſu abſque aliorum ciborum comeſtione multi ab Arthritide fuere vindicati, quoniam lac demulciens, obtundens, conterens erodentia ſeminij arthritici ſalia ſylueſtra, ac auſtera fermenta blanda reddens, mucilagineum hunc deprauatum liquorem emendat, cuius felicis eventus multæ genuinæ extant hiſtoriæ, ſicuti præcipuè videre eſt in Anch. ſaucia. Mebér obſeru. Medici Ferrar. cuius viri famatiſſimi nomen FRANC. MARIÆ Nigriſolij Primarij in almo patrio Lyceo Philoſophiæ Lectoris, quamuis ſylentio in hoc opere donetur, immortali tamen æuo præſcribitur, quoniam Vir hic Sapientiſſimus publicè priuatimque

ſtimque edocendo, de ſe, & in Alumnis, & in eruditioribus Audientibus tot reliquit admiranda, vt meritò eo Superiorem in Phyſicis, ac Medicis facultatibus non agnoſci quiſque cenſeatur. Filius equidem dignus illius præclariſſimi HIERONYMI Phil. Medic: Doctoris qui, quamuis & ipſe primarius Philoſophiæ Lector in Ferrarienſi hac celeberrima Uniuerſitate extiterit, totque de ſe glorioſa reliquerit, quæ eius immortale nomen deuulgant; attamen elatiùs reuiuiſcit in Nato.

Sed quia ab omnibus ferè Practicis eiuſmodi Lactis diuturnus vſus improbatur, eo quod ægri vel in tali victu delinquunt, vel perdurare non valent, vel in alios incidiſſe morbos notantur, vti Themair lib. primo conſil. cap. 4. Vvillis in Tract. de Arthr.; Io: Georg. Greiſel in tract. de cur. lect. in Arthrit., & alij: ideo non omni Arthritidi, non omni Arthritico lactis vſum conuenire ſtatuunt. Quapropter Lac, vt remedium dubium, & Arthritis tamquam nullius remedij capax, vt morbus deſperatus, communiter habetur; & tantummodo à quibuſdam adhibitis Anodinis dolores lenientibus, cruciatibus alleuiari videntur: Aſt quia abſque maturo conſilio nonnulli Anodinis repellentibus vulgò dictis, vtuntur; hinc eſt

quod

quod vel paroxyſmus Arthriticus diuturnior euadit, vel in deteriores renouatas periodos, vt plurimum reuiuiſcit; vel morboſa materia extra ſinus proprios in alias nobiliores partes decurrens, lethales promouet morbos, vti quotidiana quorumdam imperitorum ope miſerrimè teſtatur experientia.

Aſt Tu Eruditiſſime, ac Sapientiſſime Domine, harum Medicinæ, & ægrotantium infelicitatum miſertus, deſperatum Lactis pro Arthritidis curatione renouando honorem, Medicinam condecoraſti, ægrorumque minuiſti mærorem, & eis optatam paraſti viam ad ſalutem: Quoniam denudans lac ex omni eo, è quo aliorum morborum minera in eſſe curatiuo, & conſeruatiuo dependet, ac eum in tot diſtinguens differentias, quot diuerſæ corporeæ conſtitutiones, ſeu habitus, ſcilicet ſiuè gracile, ſiuè pingue, ſiuè inter hæc medium &c. humanum exiſtat corpus (pro vt toties litteræ tuæ me certiorem fecerunt) ſaccarum ex eodem pro arthritico alijſque morbis profligandis condiens, nomini tuo immortalem contexiſti Clamidem, in cuius conſpectu Fama ipſa deuulgans extra te huc vſque in hac ſumma re accuratiorem non ſuſcitaſſe Auctorem, Tibi æternitati condit ſymulacrum. Et ſanè ſi nil certius exiſtat; quam

quam quod experimento it comprobatum, quicumque negans, ex tot Arthriticis ſanitati reſtitutis, ex tot deſperatis in optabilem ſtatum eveſtis, evincietur authopſia.

Teſtor, & ipſe, Saccarum tuum Lactis meum non decepiſſe mentis ſenſum: Nam in Ioanne Denzio Pictore Bononienſi annorum 36. habitus ſummè gracilis, vxorato, Ferrariæ in via magnæ Iudecæ prope RR. PP. Cleric. Congreg. Tien. nunc commorante, decem ab hinc Annis à Podagra, deinde à Chiragra, demum ab Arthritide etiam nodoſa inuaſo, mirabilia huc vſque effecit Lactis Saccarum. Is quatuor ab hinc Annis ab eiuſmodi morbo tam dirè vexabatur, vt per ſinguli Anni curſum, nec interrruptus, abſque eriſypelacei arthritici tumoris, ingentiſque doloris pungitiui, ac ardoris inuaſione percurrebat menſis; ita vt ſæuiente dolorifico morbo, ac nodis, tophiſque circa iuncturas manuum, & pedum ingraueſcentibus, rigidas, inuerſas, ac contractas manus, & pedes miſerrimè ſeruabat; vnde motu deſtitutus progreſſiuo cum febre periodica continua circa veſperam cum ingenti ſiti, pulſuque frequenti celeri, ac duro inuadente, cubile aſſiduo tenebat. Angor ei ſummus erat, & vndique vexatus opem à me petijt: Quapropter

verno,

verno tempore aſſignata congruenti dieta, aqua pro potu aſſiduè præſcripta, poſt duo Pharmaca, ſolutiua, & tres venæ ſectiones inſtitutas, cuius ſanguis extractus omninò albæ. gelatinæ, ſummoque concretæ, & tantummodo quartæ partis nigricantis potiùs, quam rubicundi fluidi, nulliuſque concreſcentiæ ſubſtantiam ſeruabat (quamuis venæ ſectionibus in Arthriticis de facili non aſſentiar; attamen in ſimilibus ſum in voto, & vt materia in maſſa circulanti minoretur, & vt parti coniuncta quodammodo motui inciretur) cicoraceos ſuccos, & vaccinum ſerum ex Lacte per B. M. deſtil. per menſem exhibui; tandem vino ſolutiuis parato alternatim vam cum prædicto ſucco, & ſero per alias 60. dies purgatus, quo copioſa alba mucoſa, viſcidaque materia vna cum alijs æruginoſis, ac flauis excrementis mixta, in die per aluum expurgabatur; tantum ex hijs preſenſit leuamen, vt febre immunis, non autem è partium rigiditate vindicatus, è lectulo ægrè ſurectus circa menſem Auguſti ad Sacrum adiuit, ſicuti in cæteris Anni temporibus peregit; ſed quibus laboribus, quibus anguſtijs, eas concipere valebat, qui eum deambulantem inſpiciebant, dum in dimidię horæ curriculo, vti & ipſe toties mihi retulit, tantam decurrebat viam quan-

B tam

tam à neruoſo brachio proiectus lapis ſignare poterat; Quoniam inuerſis quodammodo, rigidiſque ac contractis, Pedibus humum non planta, ſed fere externò pedum latere tenens, tota vita baculo laboriosè incumbebat; Aſt quia manus eandem ac Pedes ſeruabant ſortem, ita ei erat laborioſum iter, vt deffatigatus, parietibus ſæpè innixus, illam ingemeſcens ſumebat quietem, quæ anhelantibus eius præcordijs videbatur neceſſaria. Reiterata autumnali tempore eiuſdem Anni per dies 40. prædicta curatiua methodo, ſeruataque congruenti dieta, ac vnica tantùmmodo permiſſa venæ ſectione; & per 60. paucis mutatis verno tempore 1698. nullaque preſcripta venæ ſectione, ad tantùm deuenit ſtatum, vt placatis doloribus, deuinciatiſque quodummodo Pedibus, & manibus, & in motu, & in cæteris comodius ſe habuit; donec hyeme, & Vere delabentis Anni 1699. ab inſultu arthritico cum febre antedicto modo nouiter inuaſus, pertimeſcens, ne rurſus lectulo infixus omnes infelices ſuas experiretur dies, prædictam reiterauit, me iubente, purgationem paucis mutatis, ac additis, venæ ſectione vnica permiſſa, a quibus è febre vindicatus, cæteriſque tunc ingraueſcentibus quodamnmodo eleuiatis, priorem ſubleuaminis agnouit

ſtatum:

ſtatum : Tunc à me cohortatus, vt celebrato tuo, mihi ſatis cognito, Lactis Saccaro pro eius ingentibus ærumnis deuaſtandis, vteretur; annuit ipſe: & à me pro eo humanitate tua deprecata, Saccarum Lactis iuxta eius corporis conſtitutionem clementer, gratiſque eidem miſiſti: Tunc ipſe die decima menſis Iunij eum ſumere incepit, ſeruata ſemper congruenti, & inalterabili dieta, ac in ſingula hebdomeda, (permiſſa aluuo adſtricta,) leniente purgato, quo huc vſque materia omninò indolis prædictæ fuit edducta, tantum perſentit leuamen, vt deuinciatis optimè Pedibus, & manibus; vndique expeditè deambulat, & artem ſuam exercens conterrendo aſueto pictorio modo colores, iam anteà ei à morbo vetito, omnia, ac ſani efficiunt, exultante corde peragit. Sed quod mirabilius circa medium menſis Iulij elapſi, e Topho, ſeu nodo, alijs maiore medij digiti ſiniſtræ manus circa vltimam iuncturam ſupurato, materia calcea liquata, ſeu diſſoluta, tamquam albiſſimum pus, cum alia ſanioſa per ſpacium 24. dierum erupùit, in qua minutiſſima, & rara extabant fruſtula Calcis duritiæi æmulantia: Cæteri verò nodi ſeu tophi tam eiuſdem ſiniſtræ, quam dexteræ manus, planitiem, ac mollitiem talem adepti ſunt, vt compreſſi,

duritie euaſæ, molles, tractabiles abſque dolore, ſaniei ſinus denorant. Quapropter tuum Lactis Saccarum, nodoſam ſoluere poſſe Arthritidem, ſpei anſam præbet. In eiuſmodi igitur ſtatu Pictor noſter felices ſuas nunc percurrens dies, extra Ciuitatem domi R. Eccleſiæ N. N. Viccarij ad artem ſuam neruoſè incumbit, pro vt mihi per litteram retulit, cuius genuina eſſentialia verba hæc ſunt. *Non manco di ſeguitar à prendere il Zuccharo di Latte con la già preſcrittami regola, beuendo pochiſſimo vino, incambio del quale aqua, e Lattate* (ideſt emulſiones) *mi ſeruono al ſolito, è ſempre più à lode di S. D. M., e del mirabile Medicamento vado àquiſtando, parendomi d'eſſer rinnato, Eſercito la mia Profeſſione in caſa di queſto Monſignor Viccario adoperando beniſſimo ſenza impedimento alcuno le mani, e piedi, e mi ſento robuſto in tal forma, che mi contentarei, come ſpero, conſeruarmi qual ſono. Spero in breue di portarmi à Ferrara, oue ſarò à riuerirla; & in tanto la prego farmi gratia, comandare, ſe in queſto mentre debba prendere il ſolito lenìente, &c.*

Ex his inconcinnè expoſitis colligitur, quantùm in Arthritidem Lactis Saccari valeat tutella, quantùm,

&

& tua ſit meritò laudanda Sapientia : Quot maiora ab eruditoribus de te cuulgabuntur, quam quæ dicebam.

Ferrariæ die 16. Menſis Septembris 1699.

ENCOMIUM

Galaſacchari ad Arthritidem , incliti Antidoti, per celeberrimum D. Ludouicum Teſti Regienſem , Uenetijs perquam peritiſſimè profitentem adinuenti , cum experimentis per quàm certis eius perfectiſſimi iuuaminis , magis magiſque in dies vbique gentium per famam commendati. Medicamen Antiquis incognitum , & quia Saccharum lactis nuncupatum , candido , ac dulci deſcribendum ſtylo ; nunc autem ab obſcuro , & inſuaui concelebratum calamo Caietani dè Angelis Meuanatis , Philoſophiæ , & Medicinæ Doctoris , & Illuſtriſſimę Ciuitatis Tuderti profeſſoris.

Condita Humanitas , tamquam immenſæ Dei Munificentiæ plaſmatio , moralis perpenſione iudicij , ſummam ſagaciorum mentibus , ob ſui tam egregiam ſtructuram , excitat admirationem , & ad tam præclarum opus Attributorum amplitudinis gloria cumulandum introſpicitur , quantum illud boni nobis viuentibus conducibilis capere valeat , Animæ potentijs ditat vndecumque Compoſitum , & velut Theſauriſta munera ſua largitura , cir-

cum-

cumvagans ſecùm prouidè leuamina vehit, quæ pro humana conditione requiruntur ad lucis ortum, iſtumque cum Animi iucunditate protrahendum ſecernitur, ſecernique longa ſpecierum ſerie debet, nè ſe cum Animalitate adiaphoram exhibeat, huiuſmodique ſcientifica cognitione prouentum facit, ſequè aliqua cum perfectione ad plurimarum notitiam rerum reddit accommodam, & per eaſdem Supremo grates aguntur Benefactori, à quo tamquam à prima Cauſa, non aliundè pendente, cuiuſuè veræ felicitatis, & laudabile ſtudium eum ſemper venerandi, colendiquè promanat.

Microcoſmus homo, cuiuis obnoxius intemperiei, diuerſis compactus temperamentis, limo formatus, pluribus, ad ſe tuendum, indiget defenſoribus, nè pateat inſultibus, morborum cataſtrophe ſcatens, prout doctè effatur Galen. [In oculis morbi ſunt plus, quàm trecentùm] ardenti cupidine ſe ab eiſdem eximere contendit. Eius compages, ſeù non rectè à Profeſſoribus cognita, ſeù non benè percepta à Peritis, per coniecturas, quandoquè fallaces, Ægrotorum vota celeri à curatione ſe iungit, ſtudioque Medici in adaptando remedio moras conijcit; quælibet noſtri Corporis particula ſcin-

ditur, & per vetuſta nitimur experimenta, vt medicamen tutelare fiat, Infirmuſque ſecurus.

Viuit quiſque alteri Fidens Profeſſori, omnemque vitæ ſuæ ſpem illius ingenij perſpicacię committit.

Propenſio, quæ ſanguinis conſtat effluuijs, in alterius allicit diſciplinam, & per methaphiſicos actus, vterque Scitorum diuerſitatibus acquieſcit.

Eximium noſtro ſæculo ſpecimen in re medica præbet Galaſaccharum, ſeu Saccharum Lactis, ne malis dicere Saccharum lacteum, Saccharum ſcitiſſimum ad Arthritidis curationem inuentum; cum olim diceretur. Soluere nodoſam neſcit medicina Podagram. Et per quàm exactè tàm grauis eſſentiam morbi præſcrutando non vereor, quin ei nomen egregij tribui poſſit.

Cauſa efficiens Arthriditis apud per plures Auctores nuncupata fuit tenuiſſimarum quantitas excrementarum lympharum; Cauſam verò materialem Coctionibus, Fermentationibus, & Triturationibus attribuam peccantibus, præcipuè ad diſtributionem neceſſariam partibus in eorum proprium alimentum, ſeque à congerie ſalis fixi, & fluido humorali deducti, vagantis, & in Articulis nidificantis, in eis abditur, atque latitat, vtpotè eſſentiam ducat

à por-

à portione ſecreti, ſiue Ouaria, quod poſteà ſucci neruei corruptela, aciditate acquiſitus, eſſentiam ditet ad aptitudinis generatiuæ in perfecta generatione ſimilitudinem, eos accendens, & fæcundans, diuerſam indolem ſpuriam tumultuantium compaginat Salium, maiori miſeri Patientis detrimento, perquè nouam particularum agitatarum luctationem fluctuationemque maximam membranæ, nerueæque Fibræ remanent euidenter vellicatæ, quæ in vehementiſſimos vertuntur cruciatus, a ſanguinis maſſa deponendo originem, & ſucci neruei excremento actiua redditur.

Clariùs Helmons: aſſerit, quemdam podagricum caracterem, ſic ab ipſo denominatur, imprimi, ad ſedem in Articulis ponendam, idoneum Vitium ſeminis Progenitorum gignentem, ſubijentemque, temporiſque diuturnitate latitantem, quouſque ſanguini indito acore, qui poſteà ſublimatus ad eas partes diffunditur, fermentationeque promota, vitium podagricum ſuum in Articulis occupat ſitum.

Magis emphaticè Quercet: teſtatur, eſſe Tartarum in internodijs congeſtum, quod noui humoris acidi ebullitionibus fermentetur, ſicuti viuæ Calci ob aquarum ſupereffuſio-

nem contingit.

Nullam Sylu: Laboë ponit hæſitationem; quia ſeroſitates iſtæ non tendant ad excruciandos articulos, quoniam Grandulæ omnes, internodiaque Corpora facillimè ſalſam lympham excipiunt, autumatquè, poſse Pancreatis grandulas lædi.

Omnes in Arthriditis origine conſentiunt Auctores, acorem eſſe ſublimatum, exinde pręcipitatum, prout Illuſtriſſimus D. Tozz. de huiuſmodi morbo concludit.

Quælibet pars humorem exhalat, & recipit, at illum vigore ſuo per tranſpirationem emandat; partes autem Corporis cammerales, & articuli, ob earumdem imbecillitatem, ac frigus, ſicuti & per glutem, quam in ſe colligationes, tendineſque continent, non ità ad tranſpirationem apti ſunt.

Ponderando quammaximam Arthriditis pertinaciam, dici etiam poſſe opinor, ipſius humoris peccantis genituram à tenaciſſima Diſcraſia ad ipſius genituræ fomentum originem trahere; licèt iſto, aut corroborato, aut perdomito illæ ipſæ lymphæ ad ſuam in Articulis ſedem ponendam, contagium reddendi ipſum, à quo producuntur, temperamentum ſecum ferant.

Si Cauſarum diuerſitas effectuum producere

ducere debet varietatem, concluſiuè difficilior efficitur curatio; magnam profectò huius tàm præclari medicaminis effectus gignunt admirationem, prout experimento compertum eſt, validitatum per proprium fundamentum reddendi Sanguinem dulcificatum, & aurum potabile noſtræ vitæ, ſalubris exoritur; poſſe abſque aliarum partium Corporis læſione edulcurari.

Plus quam certus eſt neceſſarius Sanguinis curſus, ſuiſque in Canalibus portiones lymphaticas ſecum fert, vt ibi eum maiori promptitudine agiliorem reddant, qui, cum dulcis ſit, abſque humidi portione remoram efficeret, id eſt curſum ipſius cohiberet, adiectiſquè materijs, diſtinctis à bono alimento in actu ſecundo, per ſuas percolationes omnem impuritatem deponit; provt dè Podagra dicere poſſumus; quod quando in circulatione portat nutritionem partibus, ſeù ad proprium alimentum, ſiuè vt eas viuificet, & ſpiritu donet, lymphas excrementitias deponit, acutos dolores cauſantes, & quandoque vitiatas etiam propriæ naturæ partes, abſquè eo, quod proprio ſanguinis ſiſtemati culpæ tribui poſſit; dùm iſte ſe mouet, & poteſt ſe mouere, idemque ipſæ quoque ſperantur, cum hoc tamèn

diſcrimine, quod eſſentia cum earumdem ſuperfluitate verificatur, & propter earum aptitudinem ſanguinem vappidum facit; eo quod earum commercium non complectitur, eaſque cum indiuidui detrimento excurrere finit; non idcircò exiſtentia & imminuta, & commaculata remanet; quia eis cum ſuo maiori præiudicio, & corporis vtilitate diſſoluantur, eluſoriæ, & inanes redduntur, iſtùmque purificatum, atque permeabilem.

Dulcificans Inuentum deſeruit ad reddendam magis balſamicam ſanguinis maſſam, eamquè in ſuo proprio natiuo eſſe ſeruandam, quod idem eſt, ac eam magis fouere, & ab acutie quandoquè repurgare.

Fallitur quiſpiam, & hallucinatur cum Sale Seri, quod lactis Sacchari vicariam vim habeat; dum illud Priſcis, multò magis Neotericis Medicis cognitum, detegitur Corpus aridum abſque neceſſarijs condiitonibus; cum ſit acidum Kalcalicis concretum; dum iſta in noſtro corpore ſeparata remanent; certum eſt, illud per acidum morbo ſimili fore copulandum, illudque acuturum, cum id paucis Kalcalicis impediri nequit, quod apertè cum miſeri arthritide laborantis detrimento contingit, & cum euidentiſſimo experimento Sal

Seri ſimplici liquido lenteſcit, ac liquatur, & lac Sacchareum nunquàm diſsoluitur, niſi fluido caleſcat, cum pars vntuoſa reſiſtat.

Non influit in Sale Seri pars nutritiua, & propria dulcificans, ſed ex diametro oppoſitum, cum Serum maiorem ferat ariditatem, & à ſuo tantò faciliore, quantò doloſiore, conſtructione omni neceſsaria, & nutritiua priuatur, iiſque detractis, Corpus noxium, & aptum remanet ad exitum cuilibet Arthritico generandum.

Nequè pro catholico medicamine propinari poteſt, ſicuti benè nos monet Hypoc. (quod differt Corpus à Corpore, Temperamentum à Temperamento, Ætas ab ætate &c.) & ſi nimis cupidè cuiuis applicetur temperaturæ; omne maliſicentiæ genus inferre poteſt.

Cum Lactis Saccharum multifariàm fabricetur, & iuridicis, palpabilibuſque rationibus frui optata nos tàm validi medicaminis ſubſiſtentia faciat

Dici profectò poteſt, Lacteum Saccharum proprium eſse & verum vnicuique naturæ dulcificans, cum adinſtar ſpongiarum ſuccos acres, mordenteſque non abſorbeat; ſed cum liquabile ſit, ac mutabile in carnem, intimè ſe inſinuat, & eneruat acu-

tias,

tias, & tranſeundo in ſanguinem, exoptatam introducit dulcificationem, iſtoque pacto facilius, & firmius fermenta peccantia corrigi poſſunt, quàm à cruſtaceis mineralibus, ſemimineralibus, &c. cum hæc ſint mera productorum abſorbentia, non autem radicis producentis correctiua.

Cum rationibus huic excellentiſſimo Arcano conſentaneis, tribus ab hinc menſibus ſumma cum laude, peculiarique vtilitate, fuit per me deductum ad praxim in Reu. P. F. Bernardo dè Montefalchio ord: minor: ſtrict. obſeru. in hoc Cænobio Montis Sancti Tuderti, qui cum decem Annos ſuper religioſum ſtratum, quaſi clauis affixus decubuiſset, abſque eo, quod ob aſſiduas fluxiones naturalem artubus motum dare poſſet, Diuinam pijs clamoribus implorabat aſſiſtentiam, vt magis per tolerantiam mereretur, cum relata ad eum egregiarum tàm excelſi medicaminis operationum fama, & vt illud ſumeret, auctor fui, ac plenitudine voluntatis, promptaque obedientia operi ſe accinſit, executuſque quidquid prudentèr pro eiuſdem vſu prę́ſcribebatur; tanto nunc ſe beneficio affectum reperit, vt non tantùm omnibus motum membris præſtet; ſed ſperet, proſequendo, ſe

denuò

denuò in Sacroſancto Sacrificio gratias innumeras infinitæ acturum Maieſtati, obſequioſaque Tributa exhibiturum. Erigit ſe ſe in pedes, & eliquatis cunctis gypſeijs tumoribus, quibus eius palmæ turgebant, ac vno præſertim calcinoſo in dextero cubito ad oui magnitudinem, inſaniei formam diſſoluto, & lenteſacto: quapropter vitæ ſe reputat reſtitutum, cum in aſſiduis, moleſtiſque doloribus dies ageret. Unuſquiſque lucem Solis ſplendere, & ſuper cænum ferri, nec fædari credere debet; ità mihi videtur adhibenda fides excellentiæ huius egregij medicaminis, iugibuſque encomijs Auctor concelebrandus, cui ob meritorum celſitudinem, ſcientiæque profunditatem celeberrimi nomen, & perſpicaciſſimi humanæ conſeruationis effectoris decernatur, & ad perennitatem me voueo,

PRÆSTANTISSIMI Medici Parmenſis Elucubratio.

NVperrimum Saccari Lactis inuentum, quo medica Reſpublica in dies illuſtratur, ope, & ingenio celeberrimi Viri Ludouici Teſti nobis innoteſcit. Saccarum iſtud liuoris amaritudinem non modicam ſuſcitauit, aut ad imminuendam Authoris famam, vel ſatius, meo iuditio, ad augendam, propagandamque. Tale inuentum, vtpotè circà Herculeum morbum verſatur, Artritidem putà, primo adſpectu conciliare ſibi fidem non poſſe videtur, quantam continuò promittunt eius portenta in innumeris ab Artritide vindicatis. Tamen ſi rem attentiùs perſcrutabimur votis omnibus, & inuenti, & Inuentoris mentem conuenienti admiratione proſequemur.

Lacte nil magis familiare, ac omogeneum animali inuenitùr. Præcipuè hoc manifeſtum fiet, ſi eius ſubſtantiam, temperiem, & vſum attentè perpendemus.

Quoad eius ſubſtantiam, ſi hanc latiùs,

tiùs, & communiùs indagemus, in Caſeum, Butirum, & Serum, ſtrictiùs verò & ſaniori philoſophia in Spiritum, Salem, Sulphur, Terram, & Aquam diuidemus. Sic Lactis ſubſtantiam componi ex ijſdem principijs, quibus & ſanguis, conſtabit; conflatur enim maſſa ſanguinea ex aſſignatis quinque conſtitutiuis, cum in eadem tantùm reſoluatur ex mente doctiſſimi Uvillis: præterquam quod licet inferre ſubſtantiam Lactis propter analogiam, quam habet cum ſanguine, eſſe animali, & ferè cunctis ſympateticam, vt manifeſtè docebat diuinus ſenex lib. de Alimentis *Viuificantur non animalia, viuificantur & animalia &c.*

Serum, quæ eſt potior pars Lactis, dum ſeparatur à Butiro, & Caſeo, ſecum portat. Quamplurimam Salis portionem, quæ inuoluta vnà cum Aqua glandularum fermento Seri texturam, ſeù formam acquirit.

Cæteræ duæ ſubſtantiæ conſtant multo ſulphure pingui, & dulci, propterea tres ſimùl vnitæ & modificatæ conſtituunt vnum Corpus apponibile, & aſſimilabile partibus præſertim in animali, cuius gratia nutrimentum adeò proficuum, & admirandum fabrefecit natura. Quin immò non animali tantùm, ſed cuicumque vegetabilium ſtuduiſse voluit,

luit, quorum genus magna ex parte Lacte nutritur, ac viuificatur, vt videre eſt apud famigeratiſſimum Malpighium, cuius ſedula obſeruatione inuenta ſunt vaſa Lactifera in Moro, alijſque arboribus tract. quem ipſe inſtituit *de plantis quæ in alijs vegetant*.

Lac ergo eſt alimentum viuentibus omogeneum, eo magis ſi eius temperiem, & complexionem ſpectemus: eſt enim Lactis complexio temperata, & mollis, quippe infantes illo ſuccreſcunt, eiuſque textura facillimè diſsoluitur, ac corrumpitur: hoc dignoſcit etiam Gal. Com. in Aph. 64. lib. 5. dicens: *Lac facilè alteratur, & ſi pluri calori incumbat, euaporat ſtatim, ſi verò pauco, ac ceſſit ſubitò*.

Eius generatio hoc idem confirmat, ſi nuper citato, ac ſemper laudabili Malpighio credimus, cui probabilior videtur opinio, Lac fieri ex adipe, & pinguedine tract. de ductibus adipoſis, vbi rationem dubitandi exerit, quoniam in nutrientibus circà mammarum glandulas multam pinguedinem natura colligit, non ad ſolam venuſtatem; propterea obſeruamus in Lacte genito multum butiri, multoque etiam ſuperſtite pingui in Caſeo, & oxygala, & frequenter videmus ex comixto oleo, determinato

liqui-

liquido fieri ſubſtantiam Lacteam penes colorem, & ſubſtantiæ modum. Idem Hypoc: hoc videtur tetigiſſe lib. de natura pueri, vbi docet in mulieribus à partu mammarum renulas ampliores factas pinguedinem à ventre trahere, à qua Lactis generatio emergit. Verùm cùm pleriſque tàm recentiorum, quàm antiquorum non arrideat hæc opinio, ſeù lac generetur ex ſanguine, ſeù fiat ex chilo, vel etiam ex pinguedine, ſemper ex elaborata, perfectaque ſubſtantia conficitur, adeòque ſemper apta nutrire Viuentium, & Animalium partes. Uſus quoquè Lactis id omne confirmat, quem propterea

Duplicem conſideramus & Naturæ, & Artis; Naturæ pro nutrimento, Artis pro medicamento. Poſteriorem inquirimus & animaduertimus varium eſſe pro morborum diuerſitate. Utimur Lacte decocto cum ſtipticis herbarum ſuccis in dyſenteria, vtimur in maraſmo, in hecticarum curatione & ſimilibus, ſed præſertim in Artritide, cuius Antidotum peculiari forma ſanciuit Ludouicus Teſti, ſecutus vt opinor Hypocratem in lib. de affectionibus, vbi circa finem curationis Podagræ ait: *Cùm verò dolor intùs fuerit, pharmacum infrà purgans dato bibendum, & poſt hoc Se-*

rum

rum coctum, & aſininum lac.

At diuini ſenis temporibus ad hanc vſque ætatem decocto Lacte, & in fluida forma vſi ſumus, numquam tamen redactum in puluerem ſomniauit antiquitas. Cedant ergo huiuſmodi formulæ nuperrimo Ludouici inuento, quoniam lac fluidum, coctumque non omni accomodatur ventriculo vt quotidiana teſtatur experientia, Lac tamen in pollinem ferè cunctis conferre conſtat, quippe Sero, ac Sale ità depauperatur vt ſapidum guſtui, dulce, gratumque exhibeatur; eòque magis fit remedium plauſibile, cum ſine vlla additione conficiatur, ſitquè purum, ac ſincerum Lac in puluerem redactum, ac præparatum; gaudet enim quam maximè natura ſimplicitate, & quantum mea obſeruatione conſtitiſſe potuit, nobiliora, & ſecuriora medicamentorum arcana in ſimplicium vnitate delitefcunt. Saccarum Lactis hac inſigni nota ab omni alio medicamento ſecernitur, & cum poſitiuo iuuamine ægrotantem fortuitò non ſubleuat, nullam ſaltem noxam corpori inferre poteſt.

Huius medicamenti vires enarrent quamplurimi in re medica Profeſſores, quo continenter vtuntur in expugnando Artritidis morbo. Ego præ cæteris medicamenti ſimplicitatem,

tem, ac energiam teſtarer. Curioſitas namque, quæ naturalium rerum indagatores ducit, me quoque non deſperato exitu ad augendam inuenti famam coegit.

Admirandam huius remedij vim, præter alias innumeras ſequens concludet hiſtoria, quæ meo iudicio, notatu digna cenſetur ob ſymptomatum ſyndromem, quibus contexitur.

Religioſus quidam temperamenti lymphatici acerbiſſimo articulorum dolore, ſpatio circiter annorum ſeptem, vexabatur, dolor tamen modò intenſior, modò remiſſior temporum mutationes imitabatur. Erat autem patiens in ætate quinquagenaria, & præter præfatam doloris artritici diarhěſim morboſam, obſtructionibus vndequaquè refertus duritiem totius abdominis, cum lienis, ac iecinoris tenſione geſtabat. His demum acceſſerat morbus regius, adeo vt vultus, ac cutis deformitate iam non homo videretur. Pluries plurium medicorum conſilio purgatus eſt innumeris ferè remedijs ſed fruſtrà. Demum inſpirante ſupremi Numinis prouidentia me aduocauit, præmiſſaque leui purgatione vſu Saccari Lactis per quatuor tantum menſes redijt color priſtinus genis, & cuti, obſtructiones deiectæ

ctæ, quodque magis admirationem parit, euanuit in totum dolor artriticus cum perfecta totius corporis valetudine. Adeò verum eſt Saccarum Lactis eſſe vnicam & conſtantem prauorum humorum dulcificantem medellam.

Scribebat in patrio Parmenſi Lyceo Medicæ Praxeos Lector ordinarius
Vincentius Clericus.

RESPONSIO MEDICA Philoſophica D. Io:Pauli Quintili Romani Iuriſconſulti, Ad Illuſtriſs: D. Io: Baptiſtam Landi in nobile Sacchari Lactis Magiſteriũ Doctiſsimi Viri D. Ludouici Teſti P.M. Regienſis in Sereniſsima Venetiarum Ciuitate Profeſsoris,

HOminum opinio intellectuale iudicium eſt, quod ſæpe mente conceptum, vt efformatum potentia, & facultate à recta deflectente ratione eos idcircò eò adducit, vt errores ſectentur ſuos: tantoque ſtudio, conatuque, vt, quamuis argumentis fortiſſimis, ac demonſtrationibus oppugnentur, quod

ſemel

ſemel pèccatum eſt, temerè tueantur; nequeantque non eſſe impudentes, mentis impotes, & perinde ac Deo Crepito Ægyptij, errori præſtent obſequia; nullamque reprehenſionem patientes, ſinant, ſe trahi turpi illa, & corrupta ſibi placendi ratione. Quare optimè Virgilius: Trahit ſua quemque voluptas, quod egregiè D. Auguſtinus proſequutus eſt.

Certò ſcio, hanc veritatem per ſe iam ſatis notam nulli ſapientum fore mirandam, ſi Medicorum turba reputans fieri non poſſe, vt quiſpiam vllo medicamentorum genere ab Artritide curari poſſit; ſiue, vt vulgò loquar, ab illis fluxionibus, quæ in pedibus podagræ nomine vocantur, in manibus Chiragræ, in femore Iſchiadis, in genibus Conagræ, in maxillis Sigonagræ, in clauicula Cheyſagræ, Rachiſsagræ in dorſo, in humeris Homagræ, in cubitis Pechiagræ, Odomptologiæ in dentibus, Dracholagiæ in capite, diuerſa hac ſcilicèt ratione nuncupatæ, non quidem eò, quod cauſa, origine, vnde profluunt, inter ſe differant, ſed quia diuerſæ ſunt partes, quas directè inficiunt, & attingunt vehementèr, vt cuiquam ſatis iam patet: ſi inquam Medicorum turba in hanc falſam opinionem adducta immerito au-

audeat aſſerere, nouum quid eſſe, & monſtroſum, homines verè peritos præſeferre SACCHARUM LACTIS nouiſſimè manipulatum ab eruditiſſimo viro Philoſopho, & Medico inſigni Ludouico Teſti è Rheggio in hac Venetiarum vrbe publico, & illuſtri profeſſore, vt ſingulare, & maximum remedium ad eas comprimendas; quemadmodum omnes viderunt, & adhuc vident, multis præclaris viris iam diù hoc morbo affectis, & ægrè detentis accidiſſe, qui iam ſeneſcente ætate, grauique, mirum in modum incolumes eiuſdem ope euaſerunt, teſte rerum omnium magiſtra experientia. Quapropter ego, qui ab ijs maximè abhorreo, qui non dubitant, veritatem ſatis perſpectam impugnare, fateor, me in hanc ineptam prorſus, ſtultamque inficiationem, quamuis non iactem, me profiteri artem medendi, ſed tantum quærere ab ijsdem ſtudijs voluptatem, ſtatuiſſe non pati huiuſcęmodi emulationem; quæ cæterum eſt omni laude cenſenda digna, dum excitat animos, & Mentes ingenuas ad labores pro pręclaris artibus comparandis: ſed tanquam turpe vitium vituperandum, ſi in inuidiam migrat, cuius artes omnes eò tendunt, vt paret virtuti inſidias. Statueram nimirum ſcutica exagitare eos, qui detra-

hunt immeritò ab hoc nunquam ſatis laudato magiſterio, vt alias libertati ingenij mei indulgens Romæ conſueueram, abſque tamen vlla iuriſprudentiæ ſtudiorum intermiſſione. Sed cum videam, alios ſapientiores viros id, quod in animo habebam, præripuiſſe, eoſdemque artis Medicæ profeſſores illuſtres, vt eorum ſcripta teſtantur, ſum lętatus vehementer, cum intelligerem, huic Veritati & cauſæ non defuiſſe patronos, qui non ſolum afferendo argumenta è Philoſophiæ fontibus deducta, ſed claris etiam demonſtrationibus ignorantiam ſimul, & inuidiam compreſſerint.

Epiſtola tua igitur mihi reddita, qua quærebas, à me te fieri certiorem, vtrum inſigne hoc Medicamentum nunc primò prædicatum, & palàm editum ab eodem Doctore Teſti vt Elexipharmacum contra Artitridem, conferre poſſet ad alias infirmitates, præcipuè verò ad illum Catarrhum, quo multo tempore angebaris, cum inter Artitridis morbum, & hunc ipſum, ſaltem ratione effectuum, multum interſit diſcriminis; quamuis ratione ipſius cauſæ, à qua oriebatur, idem eſſet, ac podragra: fateor, me voluntate ita accenſum non ſolum tibi ſatisfaciendi, verum etiam & ijs omnibus, qui cuperent cognoſcere in hoc Saccharo omnem eius vim, & vir-

tutem, vt decreuerim inquirere, & diligenter inueſtigare vniuerſam eius bonitatem, & naturam. Et reuera illud intellexi, hoc lactis Magiſterium cum ſit naturali facultate dulcificans, & cuiuſcunique deprauatæ aciditatis deſtructiuum, iure merito dici poſſe, & eſſe dicendum pro vniuerſis morbis medicinam vniuerſam, qui ab acido vitiato in noſtra corpora erumpunt. Qui ſanè morbi non modo multi ſunt, ſed eorumdem plerique infeſtiſſimi, nullaque penè arte ſuperandi; dum ab acido præuaricante oritur in noſtris viſceribus venenum ingenitum, quod ſanguinem inficit, naturalem extinguit calorem, & humorem radicalem diſſipat, partes ſcilicet neceſſarias, quæ noſtram vitam conſtituunt. Huic cognitioni acquieſcens cæpi, vna eademque arrepta opportunitate, meo ingenio indulgere, & noſtræ amicitiæ ſatisfacere, & Philoſophi & Medici induens perſonam, breuibus, quid ſentiam, exponere. In primis confidens me tibi fore gratum, deinde omnes intellecturos, me quidem delectari huiuſce ciuitatis delicijs, non tamen impediri, quominus ſtudijs vacem, cum ab otio illo, ac deſidia abhorream, cui quidam ineptè me datum credunt.

Igitur pro meo probando inſtituto dico: in noſtro corpore multos eſſe humores,

res, qui natura ſua in ipſo dominantur; horum alij dulces ſunt, alij amari, alij ſalſi, alij acidi, alij fluidi, diuerſique generis, & qualitatis. Quare apud omnes philoſophos receptum eſt abſque vlla dubitatione, noſtri indiuidui deſtructionem accidere, cum ijdem humores egreſſi fines ſui eſse naturalis, fiunt gradu quodam ſuperlatiuo vitioſi, & rebelles, ideſt quando dulcis humor in dulciſſimum migrat, in amariſſimum amarus, acidus in acidiſſimum, & ſic de ſingulis, vt clarè Hippocrates docuit in titulo: De veteri Medicina num. 24. folio mihi 5. illis verbis, ibi: *Iudicaueruntque artem dignam, quæ Deo adſcriberetur, quemadmodum eſt etiam receptum. Non enim ſiccum, neque humidum, neque calidum, neque frigidum, nec aliud quicquam ex his putauerunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus eſſe: ſed quod in vnoquoque forte, & humana natura potentius eſt, quodque non poſſit ſuperari, hoc ipſum lædere duxerunt, & hoc auferre quæſierunt. Fortiſſimum autem eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeò rebus vigor ipſe ad ſummum, hoc enim & in homine ineſſe viderunt, & hominem lædere.*

Ineſt enim in homine & amarum, & ſalſum, & dulce, & acerbum, & fluidum, & alia infinita omnigenas facultates habentia, copiamque, & robur. Atque hæc quidem iuſta, ac inter ſe temperata, nec proficua ſunt, neque hominem lædunt.

Huic veritati conſtitutæ alia ſuccedit, quæ noſtram propoſitionem tuetur, ſcilicet: ex omnibus ſupradictis humoribus crudeliſſimum, & maximè mortalem eſſe præuaricantem acidum; ideo ab hoc profluunt plurimæ infirmitates ſuapte natura omnium peſſimæ, & infeſtiſſimæ, omnibuſque Medicinæ viribus repugnantes; tali pacto eodem Hipocrate aſſerente num. 42. in fine ibi: *Quod dico tale eſt, an videlicet dulcis humor in aliam ſpeciem immutetur, non à contemperamento, ſed ipſe deſciſcens, & immutatus ab eo, qualis primum fuerat, amarus, aut ſalſus, aut acerbus, aut acidus ſit. Fit ſane acidus; Ergo acidus humor reliquos præcellens, maximè incommodus fuerit, ſi vtique dulcis omnium commodiſſimus exiſtit*, &c. fol. mihi 6. a tergo.

Maiorem hanc pro fundamento ego pono noſtri philoſophici argumenti: ex omnibus humoribus maximè violentum, & quod difficillime poſſit comprimi, eſſe acidum corruptum,

Minorem exhibet textus Hippocratis, quem ſupra notauimus, in quo ſtatuitur ab acido præ cæteris omnibus nos exagitari plurimum, tum ratione quantitatis, tum etiam qualitatis morborum ab ipſo manantium. Quare id ſequitur, hoc Magiſterium Lactis aptum ad depellendum, & euellendum radicitus illud corruptum acidum, quod peſſimis ſuis, ac veneficis qualitatibus nos plurimis aggrauat infirmitatibus, vocandum eſse nomine Medicinæ quaſi vniuerſalis, quia ratione quadam vniuerſali nobis eſt adiumento.

Hìc verò vel longè chimicorum, & Spargiricorum obſtrepentium voces exaudio, qui cenſent, eos ineptè vocandos artis huius peritos, qui audeant vniuerſalis nomine nuncupare medicamentum aliquod præter inſignem lapidem philoſophorum deſcriptum à Gebero in ſuo arbore vitæ, à Lullio in ſuo Sale fuſibili, & Oleo incombuſtili, à Paracelſo ad Theoricam ſeiunctionem puri ab impuro, ſiue ab Homogeneo heterogenei, qui ab Arnaldo creditur in aqua auri ſitus eſse, quam nunquam effecit. Verum ſumma cum animi mei delectatione ſponte affirmo, mihi videri, habendas gratias huiuſcemodi iſtorum oppoſitioni. Donec enim mihi non exhibuerint

rint iſtorum auctorum excellentium arte medicinam illam manipulatam, quam aſſerunt clam tamen à ſe ſeruari abſque eò, quòd cæteri eam adhibeant, & experiantur: dicam ſemper, eam eſſe neſcio quid in concauo Lunæ poſitum. Unde niſi relata ea fuerit, & in publicum per eorumdem ſapientiam prodierit, quò omnes intelligant ipſam exiſtentem à parte rei perfectam, & manipulatam in vniuerſorum hominum vſum, & beneficium: cogentur omnes ijſdem obijcere iure meritò, iſta figmenta, quæ ipſi præſeferunt, nihil in ſe habere, quod quidquam boni ſapiat, præter ſophiſmata, & amphibologias ab ipſis callidè inuentas, vt otioſos homines, & deſides detineant, vt ſtultos alliciant, vana ſpe auaros alant, qui auri cupiditate ducti fabulis omnibus aures præbent credulas. Sed è contra iure ſanè, omnium ſententia ſtatuetur, Lactis Magiſterium, de quo meus eſt ſermo, quotidiana experientia, deſtruens acumina acidi mortiferi, VNIVERSALIS nomine nuncupandum eſse. Quod licet prima ſui denominatione vocatum eſt SACCHARI nomine, nihilominus naturæ ſuæ ratione dicendum eſt verum Oppobalſamum; cum non diſſentiat ab hac mea ſententia præclarus

rus Etmulerius in ſuo primo Tomo cap. 2. tit. de differentijs morborum. fol. 13. prope fin. ibi: *Vti verò vbique acidum acidum informat AlcKali, & illud agentis, hoc patientis rationem obtinet, ita in quibuſuis fere morbis tàm generandis, quàm corrigendis acidum in primis reſpiciendum venit*. Ergo ſi in omnibus fere morbis ſiue generandis, ſiue medendis ratio potiſſimum eſt habenda huius peſſimi acidi, ſiue ſit fixum, ſiue volatile, dubitari nequaquam poteſt, quin hoc noſtrum Magiſterium, cum directè tendat ad deſtructionem illius, iure optimo dicendum ſit vniuerſale: quia *tendit vniuerſaliter reſpectu cauſæ ad morbos ex acido prouentos, ſiuè prouenturos*, iuxta præfati Doctoris auctoritatem.

In huiuſce rei inſtituto ego indulgens aptæ meæ cuidam ad perſcrutandum rationi, primum à me repello Alchimiſtas omnes, ne dicam Lacrymiſtas, qui laborantes aſſiduè in conficiendo Anatomen cuiusque Metalli, ſeſe ideo reddunt tales, à quibus intellectus meus ſummopere abhorreat: qui cum, Deo fauente, ſit perſpicax, cum illis neſcit agere, qui errorum caligine ſunt perfuſi, eo auro perſtricti, quod dormientes ſomniant, nec vident vigilantes. Cum Chimicis iiſdem, & ſpargiricis loquor tantummodo,

modo, vt ſatis intelligam, qua ratione fieri non poſſit, & debeat, vt hoc noſtrum optimum Magiſterium Lactis pro illo Philoſophorum lapide habendum non ſit, qui quæſitus quidem fuit aſſiduè, nunquam tamen inuentus, quamuis illum tot, tamque varijs rationibus deſcripſerint, & finxerint.

Vt ergo præbeam ijs anſam, mecum in paleſtram, & in arenam deſcendendi, meque aggrediendi ſuis validiſſimis argumentis, mea ijſdem libentèr patefacio, quo marte æquiore contendant, ſic aperte diſſerens: Lapidem Geberi figuratum video in Arbore vitæ, ſic ab eo dicta. Cum hominum memoria, vt omnibus conſtat, nulla alia extiterit, niſi illa, ſupra quam primi noſtri parentes peccauerunt, quamque fide Magiſtra veram, reque ipſa exiſtentem fatemur, ſacrarum docti teſtimonio litterarum, dicatur oportet, hoc eſſe nomen, quod ille mutuauit ab illa arbore, vt nobis, à concurrentia perfectionis, id indicaret, quod demonſtrandum propoſuerat. Ergo ſi interpretantes præfati auctoris ſententiam ſcire voluerimus, quænam fuerit Arbor vitæ, de qua ſit loquutus, dicendum neceſſe erit: cum loquens de arbore vitæ in figura, quæ à ſufficienti partium enumeratione reſponderet, & con-

congrueret certo quodam modo ei; quæ in Paradiſo erat, nullo modo eum intellexiſſe aliud quidquam, niſi Lac, cum nos à vitæ noſtræ primordijs nullam arborem habeamus, nec alium fructum, quo alatur, nutriaturque infantia, quàm qui lacte defertur, quod natura ipſa parauit, Spargirica non ſolum artis ope confecta, ſed data diuinitus. A quo lacte doctus, & eruditus philoſophus diligentibus ſuis manipulationibus fructus ſalutis percipere, & colligere debet; quemadmodum ad publicam vtilitatem noſter doctiſſimus Teſti perfecit. Quare neſcio, qua pugnante ratione acutiſſimi Spargiricorum nolint hoc Saccharum, ſiue Oppoballſamum Lactis dicere, & nuncupare Arborem vitæ Geberi, & lapidem illum philoſophorum ab omnibus expetitum.

Addo præterea: ſi omnia arcana huius philoſophici lapidis ſecundum Raimundum Lullium ſita ſunt in illo magiſterio ſimplici contento breuibus illis verbis: Salis ſcilicet fuſibilis, & Olei incombuſtibilis, certum eſt, meam ratiocinationem fieri validiorem, & confirmari: cum in hoc Magiſterio Lactis concurrant illæ omnes qualitates, quas Raimundus celebrat. Cum Sal Lactis ſuapte natura acidum, & mordax ab artificioſa

Ma-

Manipulatione effectum fuſibile, & dulcificatum congruat cum prima parte dicti Auctoris indicata, & multo magis cum fuſibilitate Olei, quod conſiſtit in qualitate Caſeoſa, & Butyroſa eiuſdem Lactis; quod effectum in ſua natura incombuſtibile, & reſiſtens vnioni Salis fuſibilis, quamvis re vera non amplius Sal; ſed Saccharum, non amplius remanet acidum & diſſecabile, ſed ſpoliatum ſuis imperfectionibus naturalibus. Miro quodam nexu coniungitur & congruit cum eodem Saccharo fuſo, & dulcificato; quare efficitur transfuſibile eſſentialiter in Sanguinem, & pari qualitate naturæ ſuæ illum dulcificat, & alchalizat, omnem ab eo detrahendo aciditatem, ita vt ſi pars butyroſa, quæ eſt eadem, ac oleoſa, in pulnerem conuerteretur, non amplius eſset dicendum incombuſtibile, quia nec amplius à Sale iam fuſo vires acciperet: & ſi Sal ſepararetur, aut deſtitueretur procul à parte oleoſa, non amplius dici poſſet fuſibile; ſed ſimul vnita occulto quodam nexu, ſimul componunt exoptatum Magiſterium, de quo Raimundus loquitur: quod ſi pro Medicina vniuerſali eſt habendum, noſtro igitur Lactis Magiſterio hæc vniuerſalis ratio non eſt neganda.

Præterea recogitans ſententiam Paracelſi, mihi eam videor retuliſſe victoriam, cum vi eius propoſitionis non cogar conſiderare in hoc noſtro Magiſterio niſi eam circumſtantiam optimæ nimirum ſeparationis puri ab impuro, partis Homogeneæ ab heterogenea: quæ ſeparatio cum actu inueniatur in noſtro Saccharo Lactis extracto ab omnibus partibus eiuſdem Lactis, me iuuat inferre conſtitutum fuiſſe Paracelſo, loqui de nullo alio, niſi de hoc Magiſterio, quamvis eius Manipulationes eò tenderent, vt ad huiuſmodi affectionem res omninò à Lacte diuerſas reducerent; & ideò cum hoc videamus ad ſuam perfectionem redactum, vt iam dixi, eſſe dignum nomine Medicinæ vniuerſalis.

Tandem perpendens Aquam auream Arnaldi à Villa Noua, quantum ille magnus Spargiricorum Magiſter de eadem ſcriptum liquerit, meam ita confirmat opinionem, vt difficillimum exiſtimem, ne dicam impoſſibile, vt contrarijs argumentis non coactus recuſem eadem reuocare, cum tot rationibus defendatur validiſſimis, & maximè manifeſtis. Si enim enumerare velim omnes effectus quos ille enarrat & titulo *de conſeruanda iuuentute* cap. 2. verſ. *&* *eſt ſciendum* fol. Mihi 818. miros

eſſe-

effectus amplificans huius auri potabilis, animaduerto, eadem fere à me poſſe dici de hoc Magiſterio Lactis, de quo meus eſt ſermo, cum eoſdem omnes fere reperiam implicitè, multos verò per æquipolentiam in dicto Magiſterio. Quinimmò eius virtutis, & qualitatis, ratione habita exiguo, aut nullo diſcrimine hæc Medicina Lactis doctiſſimi Teſti differt ab illa aqua aurea Arnaldi, niſi ſolo nomine; ſed hac Maxima contraria ratione, quòd nimirum hoc Lactis Medicamentum eſt actu plupicum, verum, & ipſa teſte experientia probatum, aqua vero aurea Arnaldi vice verſa eſt hypotheſis Metaphyſica, intellectus Chimera, ſomnium Chimicorum quamvis vigilantium; cum ipſe Auctor citato loco his verbis vtatur lit. D. ibi: *Et in eius præparatione eſt totum ſecretum, quod ſapientes propter inuidiam occultauerunt*. Nam ſi hanc auream aquam nunquam potuit inuenire Arnaldus, eò quod huiuſmodi ſapientes præ inuidia eam celauerunt, pro nihilo omninò eſt habenda; quia vt ait Peripateticus: *Non entis nullæ ſunt ſubſtantiæ*. Sed cum eam idem egregius Teſti & inuenerit, & manipulauerit, dum publicè exhibuit, abhorrens ab omni vtilitate iniuſta, & inuidia, pro beneficio diuitum, & pauperum

perum experientia teſte, iure aſſirmare minimè dubitarim, aquam auream Arnaldi ſemper fuiſſe commentum quoddam, & præfati Teſti Magiſterium, eiuſdem Sapientiæ propè ſingularis prodigium verum, & Dei Maximum Munus, *à quo omne, bonum &c.* Et vt omnes artis Medicæ profeſſores intelligant, Me non loqui amoris, ſed veritatis ſtudio adductum, idem Arnaldus, volo, probet meum inſtitutum, & confirmet. cap. 3. quod ſequitur eundem titulum *de conſeruanda iuuentute*. folio mihi 831. verſ. *ſermo* &c. ibi: *Non legi Aquę huiuſmodi proprietates in libris famoſæ auctoritatis; ſed præſumendum eſt, quod ſi eſt ita, ſublime opus eſt, quoniam modum præparationis ipſius occultauerunt, & ipſam etiam nominare ſubticuerunt, & Verum illud facit dubitare ſuper ea, non quod non poſſit fieri, ſed quo Magiſterio, & cum quibus &c.*

Ergo ſi Arnaldus nunquam huiuſmodi auream aquam vidit, nec vnquam nouit, quo pacto ſcilicet conficeretur, quoque manipularetur, ſed poſſibilem credidit *ſub fide parentum*, ſtatuamus oportet, eum omnia hæc narrauiſſe, vt & ipſe iſtis Miſeris Alchimiſtis Modum aliquem relinqueret, quo ſuas rationes ducerent alienis diuitijs, & impenſis ſtultorum

rum damno, qui in iſtiuſmodi balatronum manus incautè incidunt.

Ut verò, vnde digreſſi ſumus, ad rem propoſitam redeamus, de vniuerſalitate ſcilicet noſtri Magiſterij, nolim equidem perfidia Alchimiſtarum ſomniaret ſpem eripiendi hoc nomen vniuerſalitatis ab hac medicina, fictis, fallacibuſque ſuis inuentis, quibus placent ignorantibus ſolis, vt quidquam de hiſce noſtris laudibus detrahant. Ideò vt omnes exaudiant dico, vniuerſalitatem medicam huius inſignis Oppobalſami coniunctam cum verbo *Quaſi* vniuerſalis in omnibus morbis noſtri corporis ab hominibus prudentibus intelligendam eſſe, non verò vt genus generaliſſimum prædicans de omnibus ſpeciebus diuerſis morborum: ſed intelligendam eſſe virtutem quandam ſingularem non antea adhuc inuentam, nec in alio medicamento cuiuſcumque rationis, & naturæ cognitam, non paſſam, ſe vnius morbi finibus contineri, ſed ſe oſtendentem vt ſpeciem ſpecialiſſimam prædicantem de pluribus morbis numero differentibus, quia virtute extenſiua mira facultate tuetur ab omni morborum genere, quod oriatur ab acido acidiſſimo, & rebellante: qui non modo ſunt Maximi omnium numero, &

quan-

quantitate, ſed peſſimi, nullaque fere arte ſuperandi. Ut autem ita ſe res habere probetur, ſi de his diligens habeatur examen, tot tantique eſſe videntur, vt neceſſariò fatendum ſit, hoc Magiſterium, quoad nos non eſſe illum philoſophorum lapidem, in quo omnium communi irriſione tam veteres, quam recentes Philoſophi errauerunt, ſed diuinum quoddam Magiſterium, quod ijſdem non auri, argentique productionem quidem promittit, verum naturali quoddam podigio in noſtrum transfunditur ſanguinem, eiuſdemque fit ſubſtantiæ cum ipſo, & deſtruens effectus acidi illius tam infeſti noſtris neruis, cum *nihil æquè hoſtile eſt neruis, quàm acidum*, in nobis ingeret in ventriculo, & venis, vt ita loquar, maximi pretij theſaurum ſalutis.

Quis ergo ſcientiæ Medicæ capax inficiabitur, hoc acidum infeſtiſſimum nobis ab ipſis incunabilis ruinam meditans noſtram, perturbare quietem, & affligere, cum occaſionem arripiens aceſcentiæ Lactis vnici alimenti illius ætatis, ſe ſe in viſcera noſtra diffundat, apertè indicans poraceis coloribus, & vriginoſis excrementorum, quantum in nos dominetur?

Quis negabit, eos flatus, quibus adhuc infantes angimur, eſſe ab acido pro-

productos præter naturam rebellante?

Quis negabit, Dyſenterium, ſiue ſanguinis, & torminoſam Diarrœam oriri ab acido, quod corrodens inteſtina, tandem ea excoriat, & acutis, aſperiſque punctionibus nos torquet?

Quis negabit, tot catarrhos, nulla eorum ratione habita, qui à cauſis externis pro temporum varietate produci ſolent; de ijs loquendo, qui contumaces, & periculoſi efficiuntur Chylo acido, qui plerumque vitioſæ aquoſitatis plenus genitæ in ſtomacho, ea imperfecta digeſtione alimentorum lympham efformat, quæ madefaciens, & ſeſe diffundens in membranas proximas glandulis (contra errorem credentium, effici à ſero, quod emiſſum à membranis ad caput eleuatur, vt illo vtatur, ceu ſtillario, vt diſtillet vapores, & eos in ſtomachum demittat) nos ſubiectos, & obnoxios reddit tot catarrhorum diuerſitati, & diuturnæ egentes tolerantię ad eos vincendos, vt experientia probatur?

Quis negabit, calculos produci ab acido vitioſo, quod ſecum ferendo peſſimam coagulationem, poſtquam à ſuo principio in ſtomachum tranſierit per errorem in alias ſeſe diffundit partes, in quo cum reperiat ſal

vrinoſum, ita cum eo copulatur, vt in vnum coeundo ijs vtatur, quæ ſibi opus ſint ad talem vnionem conſeruandam, donec tandem hæc omnia in calculos conuerſa rationis diuerſæ, primum in renibus, poſteà in veſica fellis, vt ait Techerijus, ſupra Hippocratem Chimicum pagina 83. nos magnopere excruciat?

Quis negabit, podagram cum cæteris omnibus fluxionibus emanare ab illo acido, vllumque artis Medicæ profeſſorem inueniri ita peritum, qui dum ſe fatetur non idoneum ad illas curandas, non acidum hoc accuſet, vt fontem, à quo tot pariuntur dolores?

Quis negabit, Cancrum morbum & terribilem, & ſimilem Hydræ Lernææ, dum nec ferro, nec igni cedit, ſed in ſua venefica qualitate pertinax, miſeros, quos lacerat eò adducit, vt in vitæ, & diuitiarum diſcrimen trahantur pro ignauis Chirurgis alendis, inſtruendiſque, vt ait Seneca: *Erudiuntur noſtris malis eorum manus*: quis inquam, hunc ab acido deriuari negabit? Dum *Cauſa communiter ſtatuitur humor melancholicus, aduſtus, ſeu, vt alio nomine venit, Atra bilis. Si intelligibili ſenſu explices acidum volatile inſigniter corroſiuum de natura quaſi, ſi perſimile explicandum eſt, Arſenicale,*

tale, in quo ipſo in ſpecie, ſi exuret, duplex venenum eſſe, non inepte aſſerit Hildanus; nempe putrefactiuum, & corroſiuum, ſententia Etmulerij tit. *de Scirro Cancro, & Gummatione Gallica*, verſiculo *cauſa cancri*, folio mihi 622. colum. 2.

Quis negabit, Sphacellum, Cancrum monſtruoſiorem, magiſque pertimeſcendum, qui repente partes nobiliores, ſiue ſenſu effectas enodat, & alteram ab altera ſeiungit, detorquet, prouenire ab eodem infeſtiſſimo acido; quemadmodum paucis ante Menſibus Romæ accidit nobili æquiti, qui brachium primum amiſit, & paucis poſt diebus obijt, quamuis vigilantia, & virtute ſingulari elaboraret vir eruditus Spargiricus, & Formocoparius Franciſcus Girottus?

Quis negabit præter præfatos qualitate, & quantitate quamplures Morborum infeſtiſſimos effectus, ab hoc acido præuaricante ſexcentos gigni dolores in partibus vitalibus modo fixis, modo vagantibus, quotidie inordinatas oriri fames, polippos in diuerſis partibus, in humoribus coagulationes, Scirros, qui poſteà ex ferueſcentia ſolent conuerti in Cancros exulceratos, & Melancolicam præter naturalem ab Hippocrate nuncupatam, *Succum acidum*, vt liquidò

quidò profeſſoribus eſt manifeſtum? Hinc fit, vt illi, qui bonam, vt decet, valetudinem amant, & deſiderant prudenti conſilio tot infirmitates effugere, paruo ſtudio, minimoque labore, vel nullo adhibito, mirum in modum intelligant, ſe ſc tum demum voti compotes futuros, cum ſepe ſæpius hoc vſi fuerint Oppobalſamo. Namque patet, remota cauſa remoueri effectus, quod eſt idem ac ſi dicatur: deſtructo acido præuaricante, & deprauato deſtrui quoque omnes morbos, qui ab eo deriuantur: pro certo habentes, ſeſe nunquam in eoſdem lapſuros. Requirere enim ab hoc Magiſterio Medico philoſophicè manipulato beneficia præter naturam, quæ de Verbis Magicis dicuntur, ac, vt oppreſſus eius generis Morbis, vſuſque hoc Medicamento, illicò ad priſtinam ſanitatem reſtituatur, ſi non ſtultorum, at ſaltem, & certè mentis non ſanæ ea deſideria ſunt, eòque magis, ſi vi eius animum cædant, qui diù doloribus, & angoribus torqueatur. Quare longe ab hoc errore abſit oportet ille, qui vtens hac Medicina, quæ ſuaui quadam ratione ſuos operatur effectus, credit, ſe ſalutem, quam intendit, conſequuturum, & ſi ſemel, vel rarò eadam vtatur, recedens ab illis præ-

ceptis,

ceptis, quæ pro recta viuendi norma ab Auctore proponuntur ſeruanda; habita nimirum ratione, ætatis, corporis habitudinis, & eorum, quæ Morbum circumſtant, vt neceſſe eſt: cum hoc more ſit receptum, vt modus ſuus ab ægroto ſeruetur in omnibus medicamentis.

Cæterum, Amice mi, talis eſt, & tanta perfidia quorumdam, & inuidia, qui ſe callere Medicinam profitentur, vt omnino obliti eius honeſtatis, quæ cum eorum arte coniuncta eſt, impudenter ſe ſe opponant veritati per ſe cognitæ, ea negantes, quæ luce ipſa clariora ſunt, quæque ipſa experientia probauit. Quinimmò cum ſe intelligant, ab omnium hominum mentibus gloriæ memoriam oblitterare non poſſe, quæ Columbis, & Magalanes debetur, quòd nobis orbem nouum patefecerint, eos non pudet, publicos detractores ſe haberi, ac inuidos, & vti mendacijs, & Commentis, vt veritatem tenebris offundant, & fidem perturbent, quæ huic excellenti habetur medicamento. Quare ideò audent refringere ſupra lac antiquas ſpargiricas operationes, ſupra illud prauè fabricantes Sal ſereum, quod non eſt niſi perditiſſima graſſatio in eos, qui podagra laborant, quamuis enim guſtui dulciuſculum videatur, intrinſe-

cus tamen retinens ſuam ſulphuream aciditatem ſe ſe præbet abſolute exſiccans, cum ei deſint partes nutritiuæ neceſſariæ ad hoc, vt lac ſuos optimos producat effectus dulcificandi, & humectandi, & refrigerandi. Quocirca horum plerique nimium faciles in credendo, & iſtorum auaritia maximè decepti, qui vnam vtilitatem vt ſummum bonum proponunt ſibi, quamuis honeſtati repugnantem (*quid non mortalia pectora cogit auri ſacra fames?*) fuerunt, & ſunt, qui horum proditorum perfidia ad extrema vitæ diſcrimina vocantur, fruſtra ſuam fortunam ingemiſcentes, & conuicijs inſectantes iſtorum infamiam alienæ ſanitati infeſtiſſimam, quos tamen non pudet, ab omnibus vocari balatrones, & mimos fabularum inuentores.

Alij verò & ipſi cupientes ſe ſe huic rei immiſcere, quamuis nihil præterea ſcire valeant, credunt, hoc excellens Magiſterium, quod ſane verum eſt, non eſſe ab vno, & ſolo Lacte confectum, & extractum; ſed mixtum, & confuſum cum alijs corporibus externis, quamuis alchalicis, per ea in puluerem conuerti, & ita fieri compoſitum ab eo differens, quod prædicatur, conficiturque ab eodem Teſti. Error quidem tam ineptus, quo animal rationis expers quid-

quidquam peius effingere nequeat, ſi beſtijs ſermonis eſſet vſus. Nam ſi in Lacte, ex quo conficitur noſtrum Saccharum, alia eſſet immixta materies, non amplius eſſet dicendum Saccharum Lactis, nec Lactis Magiſterium, ſed confectio, Electuarium, vel quid ſimile ſignificans rem ex pluribus rebus compoſitam: cum Saccharum conſideretur vt pars vnius rei denominatæ, purificatæ, & ſpoliatæ ab omnibus partibus imperfectis, & redactæ ad debitam puritatem, & homogeneitatem.

Ideò hæc illorum opinio inuidorum omninò opprimitur, oppugnaturque non modo ab eo, quod ſapienter omnium beneficio admonuit in ſua relatione edita idem Teſti vir excellens, ſed præterea demonſtrationibus Mathematicis, quas præ oculis quotidiè habemus, & præcipuè à quatuor differentijs eiuſdem Sacchari, Manipulatis opera, ac virtute eiuſdem præfati viri, vt eas accommodaret, & idoneas redderet omnibus conditionibus, & naturæ eorum, quibus ijſdem vtendum eſſet. Nam cum omnes habeant verum, & ſolum Lactis ſaporem, indicant, & patefaciunt mendacium huius immixtionis, quam ſomniant, & ſimul in vnum conueniunt ad optimè producenda, quæ ſatis ſint corporibus curan-

ran-

randis à tot infirmitatibus, quot ſumus obnoxij.

Hæc nimirum ſunt, quæ ſentio de hoc Magiſterio, quod, cadente ſæculo, diuini numinis Sapientia publicæ omnium hominum vtilitati, & beneficio proponere, & exhibere voluit, opera huius ſingularis viri, qui ſcilicet nouerint hoc ſibi parare, & eo vti. Et hæc ſunt, quæ tibi cenſui currenti calamo ſignificanda, tuæ bonæ valetudinis amore ductus, & vt tali pacto vtilitati amicorum meorum conſulerem. Vale.

PRÆCLARISSIMO, ac ſapientiſſimo Domino Lodouico Teſti Philoſ. Medicineque Doctoris.

ALOYSIVS à FABRA I. P. D.

IMplicare veritatem non oportet, cum veritatis ſit ſimplex oratio, & quo ſimplex, eo magis veritatis, dicetur cum Seneca. Et quamvis ob auſteritatem veritas mendacio minus multis eſſe commoda videatur; & præcipuè ijs qui ſic felices ſuos acclamant partus, vt irreprehenſibiles eos iudicantes, non tantum tumentes veritatem abhorrent, ſed quod peius eſt, ab eis vt fabuloſa tenentur, quæ ipſi ſcrutari non valent: vnde ab iſtis vt aſſentatores amicorum quandoque illi euulgantur amici, qui à veritate amicorum gloriam effundere conantur, attamen Præclariſsime, ac Sapientiſsime Domine, mea hæc ſimplex, prout à veritate nequaquam

aliena, ſtet pro reſponſo vltimis tuis epiſtolis, etiamſi ab aliquibus animi mei grauaretur ingenuitas. Et ſanè his temporibus cum ſancta lex probæ amicitiæ omnium non ſeruetur in corde, e qua illæ prodeunt vtilitates, ab Antiſthene ſub his verbis inſcriptæ: *Is, qui ſaluus eſſe debet, caput habet vel probis amicis, vel inimicis vehementiſſimis, quod illi admonendo peccantes, hi criminando, à vitijs auertant.* Et cum ad liberas reprehenſiones, notante Plutarco, voce valdè exili præditam eſſe amicitiam, ſed loquacem in adulando, mutam in caſtigando, pro certo habeatur; ideo graue tibi non ſit pro nunc, vt tuum vel probum amicum, vel acerrimum me diuulgem hoſtem, ne turpe illud aſſentatoris mihi nomen impertiatur. Quapropter memorabo quæ alias tibi ſcripſi, nempe quæ de tuo *Lactis Sacchar*o pro arthritidis cura mihi indicaſti, nonnihil mihi dubiæ fidei fuerunt, antequam oculis maturiſque obſeruationibus in Arthriticis de eo fuiſſem certioratus. *Non enim tam pulchrum eſt, benè amico facere, quàm turpe non facere id, cum neceſſitas eius requirit.* Indigentia tua amicorum ſeueritatem expoſcit, vt tibi veritas innoteſcat. Non eſt igitur à te mea deteſtanda ſolertia, ſi in tuam apud me

& mul-

& multam redundauerit gloriam, & meum erga te conciliauerit animum.

Ridiculum ſane quibuſdam videtur his diebus acclamatione inſurgere contra Arthritidis Pharmacum, quod per tot elapſas ætates operatè ſcrutatum inſignium virorum deluſit ſedulitatem, & arthritico morbo glorioſos acreuit triumphos. Et tamen tui vnius *Lactis Sacchari* glorioſa nunc extat victoria; ita vt palmas ab inimica manu nomini tuo condignè ſacret ereptas.

Hęc & plura conueniunt nomini tuo. Hæc & maiora iure adaptantur tuo Lactis Saccaro.

Iam Denzius pictor, in mea humili de Arthritide diſſertatione ſatis deſcriptus, de ingenti tui Sacchari facultate teſtatur, qui per totum elapſum Autumnum, ac delapſam Hyemem continenter, etiam rigidiſſimo aeri expoſitus, ſummo cum labore, ac partium corporis incommodo per domos tum Nobilium tum Ciuium ſuam exercuit artem, abſque nec minimo arthritico inſultu; ſed tantummodo præterito menſe manus dexteræ habuit carpum detentum, ita vt per tot traiectas hyemes, quas in lectulo afflictiſſimè ſuſtulit aſſiduo, ſolus delabens intercalaris enumeratur. Etſi viuendi ægeſtas eum non fuiſſet moleſta, ac in ſummo non

proſequeretur, ab Arthritidis inſultu forſan fuiſſet prorſus immunis, vt ipſe ſuique familiares aperto ore fatentur. Unde benè eſt illud euulgatum: *Corporis ſalutem commodam facere, & tutelæ vitæ conferre diuitias quam inopiam dilaniat.*

De Illuſtriſ:, ac Excellent: Marchione Cornelio Bentiuolio notiſſimæ excelſæ Indolis, Patricio Uenet: & nil mihi eſt addendum, & ea, quæ in alijs meis epiſtolis tibi retuli, aſſirmo rurſus, dum à menſe octobris elapſo, poſtquam tuo vſus eſſet *Lactis Saccharo*, vſque huc ab hereditaria podagra prorſus incolumis exiſtit, vbi antea abſque afflictione interruptum non decurrebat menſem. Dominus Cæſar Gualandar æquali gaudet ſorte, cum à proximo menſe Nouembris, in quo *Lactis Saccharum* adhibuit, nec minimum podagræ, quæ prius terque, quaterque in menſe eum cruciabat, inſultum perſenſit. Et quamvis obſtructiones viſcerum ſcirhoſumque Lienen habeat, ita vt anno 1694. chachoenicus in Hydropem Anaſarum incidebat, ni ſubſidijs adiuuante D. O. M. à me eidem pręſcriptis fuiſſet reparatus; nihilominus minimi nec quidem incommodi fuit eidem *Lactis Sacchari* vſus; imo vbi antea fœdo faciei, & cutis calore inficiebatur, à quo totam circu-

lantem maſſam conſpurcatam eſſe, manifeſtabatur, poſt *Lactis Saccharum* reuiuiſcere incepit color, totamque corporis economiam meliùs haberi, omnibus apertiſſimè patet.

Non diſpari ſtatu fruitur Iacob de Italia Hebreus, qui decem ab hinc annis ab arthritide vexatus, & habitu cachochymo quaſi pręditus, poſtquam tuum *Saccharum Lactis* adhibet, in omnibus melius ſe habet, & floridiore cutaneo indutus colore, cogitat pro certo ad ſanitatem feliciter reſurrecturum. At quia non deſunt qui ſcitè res per ſuas cauſas ſcrutantes arguere poſſent, quod ſicuti à repletione ſequitur maſſæ circulantis chachexia, viſcerumque obſtructiones, & vt fædus cutis color, & alij inordinati effectus, ita per inanitionem, iuxta Hipp. documentum, eorumdem medella manifeſto habetur; hinc fit, quod in ſupradictis viris per diætam à te aſsignatam pro *Lactis Sacchari* vſu, exonerata à grauoſa ſarcina maſſa circulante, tota rediuiua videtur corporis eorum economia. *Plus enim morbos curat diæta ſine medicamento, quam ſine ea medicamentum.*

Sed tui & eorum animi tranquillitate, qui talia exprimere tentarent, (concedatur mihi, vt libero animo expri-

mere valeam) quod quæsò maturè ſcrutetur diæta, à te pro eiuſdem *Lactis Sacchari* vſu aſſignata, & tunc manifeſtò erit fatendum, totum hoc opus non à diæta dependere, imò nihil vel parum eam efficere, dum non pro inanitione, ſed pro repletione, ſi non augenda, ſaltem conſeruanda, eiuſmodi victus ratio haberi poteſt; nam paucis demptis, vt plurimum quibus ſuis Ciuilibus hominibus cibaria leguntur ſalita, è quorum immodico vſu, data etiam maſſę, & viſcerum laudabili economia, prædictæ poſſunt promoueri affectiones; & quamvis imoderatus non eſſet eorum vſus, nihilominus ab aliqua interna parte alterata, vel à maſſa conſpurcata, vel à vitiatis primarum viarum fermentis quodcumque probum nutrimentum vitiatur, è quo vitiatæ morboſæ affectiones ſi non augentur, ſaltem conſeruari poſſunt.

Particularem eſſe idcirco *Sacchari Lactis* facultatem in corrigendo quæcunque circulantia acido auſtera fluida, partium fermenta, & pro ſummo haberi poſſe dulcificante, ex operibus eiuſdem licet coniectari, itavt quæ de eo in mea infirma de Noceriæ Terræ diſertatione notaui, à veritate non videntur ſeiungi. Et meum fateor genuinum ſenſum, quod

quod in prædictis viris, (præter in Denzio, nam non niſi Octobris menſe tuam victus rationem pro *Lactis Sacchari* vſu inſtitutam mihi indicaſti) præſcriptam à te dietam mandaui, vt coniectare poſſem, an à Lactis Saccharo, an à dieta Arthriticorum ſalutis veſtigia dependerent, ne in aſſertione de eiuſdem Sacchari Lactis facultate me deciperem, à methodo cuius, cum nimis generalis, & lauta ſit, nequaquam ſuſpicor reſultare; ideoque totam vim curatiuam in prædictis ab eo dependere mihi licet euulgare. Aſt hic vellem, vt me ita excuſes, vt omnis culpa mea apud te nulla ſit, cum innocens *Lactis Saccharum* haud inculpandum erit, quod ius ſuum expoſcit.

Et quod obſeruatione dignum eſt; quod etiam ſi ex Hippocratico documento in V. Aphoriſmor. 64. habeatur: *Lac dare. caput dolentibus malum, malum vero & febrientibus, & quibus Ilia ſuſpenſa murmurant*. Quamobrem in prædictis viris præcipuè in Gualandra, ſummoperè ſuſpicandus eſſet Lactis vſus, quorum Ilia ſuſpenſa ſcilicet ex Galen. in comment: inflata, ac diſtenta erant hypochondria, & murmurabant, nempe flatuoſa, & ventoſa, & non immodica acido viſcida fluida mate-

ria circa ventriculum congerebatur, nullus proinde eiſdem fuit huc vſque Lactis Saccharum detrimenti, ſed ſummi commodi, ac vtilitatis rediuiuæ ſaluti. Pro certo quoque haberi poteſt, hoc tutum *Lactis Saccharum* acore illo inſenſo, quo naturaliter lac gaudet, ita à te fuiſſe depauperatum, vt meritò dicerem, hoc eſſe illud quæſitum agens pro Arthritide debellanda, ſanguineaque maſſa corrigenda, ac fluidis cunctis in laudabilem ſtatum promouendis.

Etſi aliquibus forſan felices in eius vſu non eueniet euentus, hoc firmiter aſſirmare dependere licebit ab incongruenti ſex rerum non naturalium vſu, non à *Lactis Saccharo*, cui ſi aſſocietur proba victus ratio ſecundum Arthritidis differentiam, regionem, anni tempus, ætatem, & habitum ægrotantis corporeum, & in reliquis tua obſeruentur dogmata, nil aduerſum erit attendendum; cum fauſtiſſimum promittat Saccharum Lactis euentum.

Multa de *Lactis Saccharo* dixiſſe à nonnullis forſan criminabor. At ſi experimenta me edocuere, cur incertè clara veritas adumbrabitur? *Veritatis vnica eſt vis, facies vna, vna quoque omnium erit ſententia*, dum modo collaudanda opera ita nonnullo-

rum contorqueant animos, vt ab inuidia excitati falſoſacram veritatem accuſent, quoniam hac ætate, not. Plutar., *inuidentur ijs potiſſimum, quorum virtus creſcere videtur*; hinc enim, quod Themiſtocles dicebat, *ſe adoleſcentem nullum ſplendidum feciſſe facinus, nondum enim ſibi fuiſſe inuiſum*. Hæc ſunt quæ pro nunc affirmare valeo, quæ pro meo reſponſo habere potes; & è Cœlo deprecando, quæ pro tua conueniunt perpetuanda ſalute, vt publicæ hominum vtilitatis proſis. Uale. Ferrariæ die Prima Aprilis.

EXCELL. DOMINO, D. LUDOVICO TESTI.

EXCELLENTISS. ET Eruditiſs. Domine

Effectus probauit virtutem. Hinc denuo Dominationi tuæ Excellentiſſimæ gratulor. Reuerend. P. Appollinaris min. obſeru. Sacerdos, Deo primò, omnium bonorum datori, po-

ſtea eximio tuo pulueri antipodagrico multum debet. Poſt curſum aliquot Hebdomadarum, quas conſumebat in ſumptione Sacchari Lactis, obſeſſus quidem fuit ab immani ſiniſtri cubiti tumefactione, quæ ſaltem duodecim, aut quindecim dierum, vt in præteritum ſui moris fuit, ſæuiſſimum minabatur dolorem; ſed vix per aliquot horas hic ingruit, quod virtute tui inuenti, inſenſibiliter vna cum dolore, præfatus tumor euanuit. Hinc maſſam ſanguineam, vna cum ſucco medullari (ſynouia apud Neotericos) fere dulcificatam eſſe, inficias non eo, vnde non mirum ſi citiſſimè ceſſit dolor, quid plura? A ſumptione præfatorum puluerum, præfatus Religioſus mihi reiuueniſcere videtur; nam ad motum expeditior eſt; & quod magis mirum, appetitus ipſi non parum creuit: Indicium euidentiſſimum, quodlibet non agere in quodlibet, ſed in determinatum. Unde Saccharum Lactis non quodcumque acidum, quale eſt illud Vitale, appetitum excitans, abſorbet, ſed ſolummodo præternaturale, ponticum, & adulterinum imbibit. Alter R. P. Conuentualium Hieronymus Papi, qui eodem modò Saccharo Lactis vtitur, non parum proficit, conſimilibus conſolatus effectibus. Unde vnanimes Deo agentes

gratias, Paeaniſmum D. Tuæ Excellentiſſimæ canunt:

Hæc doctior ætas
Nunc meliora docet, quæ non videre priores.

Progredere itaque D. Excellentiſſime inceptum opus, nam annuente Hippocr. lib. de Veteri medicina, *Sunt autem opifices alij viles, alij longe præſtantiores, quod ſi non eſsent omnino in medicina, neque in ipſa obſeruationes eſſent, neque quicquam inuentorum non vtique extaret, ſed omnes æqualiter eius ignari & inexperti eſſent, & per fortunam omnes ægrotorum res gubernarentur*. Nam per Dominationem tuam *multa & probe habentia comperta ſunt, per multum adeò tempus, & reliqua deinceps inuenientur. Si quis idoneus ſit & iam inuentorum gnarus, ex his ad perquirendum procedat*: vt apud Hippoc. habemus text. 2. & 3. eiuſdem libri. Iam promiſſam Lactis Anathomiam ex pluribus Sacchari Lactis differentijs Autopſia ad hanc vſque diem inſpicere potuit: vnde innumeras refero grates, ſed adhuc maiores reddam, quando illam prælo commiſeris, meiſque fuerit oculis ſubiecta fidelibus. His Ianuarij Idibus alterum librum, ſalubritatem aeris Venetiarum probantem, vna cum reſponſionibus ad obiecta,

accepi, vnde pluribus obligationum vinculis me dominationis tuæ deuinctum fateor. Venetias accedere mihi in animo eſt, vt ore tibi gratias agam, & nonnulla meæ craſſæ mineruæ Tecum conſulam. Vale interim, & ex albo Partialium tuorum me expungi non patiaris.

Biſurgæ Idibus Ianuarij 1700.

Dom. T. Excell.

Humiliſs. & addictiſs. ſeruus
Franciſcus Euangeliſti.
M. P.

DE

DE SACCHARO LACTIS RELATIO,

Inuentore LUDOVICO TESTI M. P. Venetijs.

QUùm à D. O. M. in operibus ad extra infirma inſtrumenta eliguntur, ſuæ tanto magis omnipotentiæ vis exprimitur. Et ſi tot tantique extent in arte medica verſatiſſimi Homines, iſtorum me tamen nouiſſimum, infimumque occupantem locum illuminauit, vt methodum deprehenderem, qua, ſordibus expurgatam, præſtantiorem Lactis ſubſtantiam in puluerem redigerem. Experientijs confirmantibus inuentus eſt hic puluis arthritidis antidotum. Non enim methodo triuiali tale perficitur opus; verùm cum Hermetico conueniens myſterio, in bo-

num vniuerſi, opportuno tempore manifeſtabitur.

Hic præſtantiſſimus puluis indicationem adimplet Hippocratis, exprimentis, ferocem hunc morbum Lacte oppugnandum eſſe. Imò tantò faciliùs tutiùſque vti hoc poſſumus remedio, quantò nec aceſcit, nec coagulatur, nec corrumpitur, vt facilè Lacti contingit.

Quatuor iſtius medicamenti per artem conſtructis differentijs, iſtarum prima præpinguis extat, corporibus peropportuna aduſtis; in quibus vt plurimùm acidum ſe manifeſtat violentum. In ſecunda imminuta pinguedo eſt; hæcque corporibus conuenit non adeò aduſtis, & à quorum acido minore violentia ſanguis diſſoluitur. Tertia differentia vix pinguedinem continens, corporibus accomodatur præpinguibus. Quarta non ex puro lacte elaborata, ſed extraneo alterata medicamento, peropportuna eſt, vt Arthritici cachexia detenti, Saccharo Lactis curari poſſint.

Quum non omnia corpora conſimili temperamentó donata ſint, nec vnica proinde remedij ſpecie medicanda erunt. Neceſſarium itaque fuit, præmunitum eſſe medicum iſtiuſmodi Sacchari Lactis differentijs; vt tutò, & iucundè (ſi non citò) contra tantum

tum morbum ex methodo incederet.

Saccharum Lactis ſingulare vniuſcuiuſque eſſe naturæ dulcificans, certum eſt. Et tantò magis veritati eſſe conſonum, quanto non abſorbet acidum more cruſtaceorum : ſed in ſanguinem conuerſum, totam ſanguinis maſſam radicitus dulcificat. Ad dulcificandas ergo acredines nil opportunius, gratiuſque adinueneris. Natura enim à lacte eruit quicquid delineato iam corpori perficiendo neceſſarium eſt. Mirum ergo non eſt, ſi virium robur, floridus in facie color, noua carnis regeneratio obſeruetur in illis, qui Saccharo Lactis vtuntur. Hæc manifeſta ſunt indicia, ſecutam fuiſſe ſanguinis mutationem.

Iſtæ coniecturæ experientijs paſſim comprobatæ fuere : quippe poſt iſtius remedij vſum in multis extracto ſanguine, in optimum conuerſum eſſe obſeruatum eſt. Saccharo Lactis facilius tutiùſque maſſà corrigitur ſanguinis, quàm quòd ab excogitata iam diu transfuſione ſperari poſſe videbatur. Lacte enim, quàm extraneo ſanguine, gaudent magis partes, vtpote ex eomet auctæ. Imò non datur in rerum natura quid præſtantius, quod valeat humidum augere radicale.

Sine

Sine hæſitantia lac muliebre anteponendum eſt Uaccino. Uerùm fabrefaciendo Saccharo vna ſe ſe offert difficultas à ſolis Principibus, Diuitibuſque ſuperabilis; neceſſariam nempe lactis copiam haberi non poſſe. Huic altera multò maioris conſequentiæ adiungitur: nempè vnam ſolam mulierem lue celtica inquinatam facili negotio multa fædare corpora poſſe. Perſimile muliebri exiſtens vaccinum lac, omnibus etiam ſine periculo ſatisfacit indicationibus.

ADMONITIONES pro recta præſcriptione Sacchari Lactis.

HOc præſcribendum non eſt corporibus ſucco abundantibus inſipido; quippe non huic, ſed acido acri opponitur. Abhorrentes, & faſtidientes lac, vel eiuſdem componentes partes, Butyrum nempè & Caſeum, iſto non vtantur.

Abſolutè credendum eſt, hoc remedium non eſſe ſuperaturum breui temporis ſpatio illas affectiones, vel quia pertinaces omnia illuſerint remedia, vel

quia

quia temporis longitudine omnes corporis partes arctè occupauerint. Hinc fit, vt qui arthritide confirmata laborant, vel in quibus eſt hæreditaria, aut quorum corporis partes excrementorum acerrimorum generare & coaceruare copiam aſſueuerunt, diu iſto remedio vti debeant.

Etſi tam ſæuiſſimi morbi ſit antidotum, haud tamen in iſtanti dulcificare ſanguinis maſſam, fermentaue corrigere valet. Naturale, non ſupernaturale conſiderandum eſt hoc remedium. Ex iſta conſideratione conſequentèr deducitur, quod vbi excrementorum viget copia, fluxio in motu eſt, irritus eſſe eiuſdem vſus. Tunc enim temporis nec acidum corrigere, nec fluxionem inhibere valet. Tribus ergo quatuorue menſibus ante acceſſionis inuaſionem continentèr ac iugitèr vorandum Saccharum.

Prognoſis de ſubleuamine ſperando ab Arthriticis.

PRæſtantiſſimum hoc remedium, quod è principio cachinnis ſalutatum fuit, ſecutis poſtmodùm nobilibus experientijs, admiratione ac plauſu exceptum eſt. Quia non pauci languentes

guentes ab Arthritide miſerabiliter obſeſſi, vſu Sacchari Lactis inopinanter meliùs ſe habere obſeruati ſunt, atque integerrimam ſanitatem recuperaſſe euulgatum eſt; non pauci proinde deplorati ſanandos ſe quoque credidere.

Vt veritas eluceat, illud omnibus pro certo fuerit, ſanabilem quemque Sacchаro ſanatum iri; inſanabilem, leuamen aliquod ſperaturum, accepturumque: verùm vſque ad cineres ſuo detinendum infelici ſtatu. Ità à Cœlo huic remedio ſua impreſſa fuit actiuitas, ſicut cæteris entibus poſſibiliter operantibus. Saccharum ergo non omnibus ſanitatem communicare valebit: ſed alios ſanabit: alios ſummo aſſiciet auxiſio: nonnullis quoq; plus, alijs minus proderit: nemini damnum inferet; dummodo contra acredinem tantùm præſcribatur.

Quùm præcipuus illius effectus ſit dulcificare, pro iſto conſequendo fine vorandum eſt. In aliquibus aluum lubricare; in quibuſdam alijs lotium promouere, obſeruatum fuit. Verùm cùm incerti ſint affectus, dulcificatio ſperanda eſt.

In ijs, qui Arthritidi obnoxij eſſe incipiunt, ſiue ſint iuuenes, ſiue in ætate conſtituti, peſſimum fermentum iſtius inſuperabilis morbi exterminabit. Cibi vero fautores, vina genero-

ſa, acetum &c. vitanda ſunt, ne denuò arthritica aciditas introducatur, & coaceruetur. Si ab iſto remedio vnus iſte effectus produceretur, naſcentem nempe iugulari Arthritidem, maximi eſſet faciendum; ſed frequentèr non inferiora operatur.

Si verò in quibus hereditarius eſt hic ſæuiſſimus morbus, etſi eorum conſanguineos motu priuauerit, dummodò ipſi in ſimili infeliciſſimo ſtatu conſtituti non ſint, à Saccharo Lactis certè præſeruabuntur; minoreſque ac rariores erunt fluxiones & dolores.

Quamquam iamdiù iſto torqueri morbo quis ſoleat in ætate conſtitutus, ſi adhuc motum partium liberum habeat, præſeruabitur, ne in infeliciſſimam ſe mouendi impotentiam incurrat. Sed etiam rariores paritèr, atque indolentes experirctur acceſſiones.

Sicuti impoſſibile eſt excrementorum inhibere generationem, ità poſſibile non eſt, aliquam non ſuboriri fluxionem in illis, in quibus iſte morbus aut eſt hereditarius, aut confirmatus. Priſtinam non recuperantes ſanitatem, ex conſiderabili certè & inopinato ſubleuamine conſolabuntur.

Quia Saccharum ſanguinem dulcificat, haud tamen tenetur impedire gene-
ratio-

rationem tot tantorumque excrementorum, ab acido diuerſorum. Solius Dei omnipotentiæ hic poteſt eſſe effectus. Frequentèr ergo qui ſoluentibus vti aſſolet, ipſorum vſum non negligat: alioquin coaceruatis in copia excrementis, Saccharum conſpurcabitur, obrueturque. Impedita iſtius remedij actiuitate, libera erit impuritatum poteſtas, ad libitum denuò fluendi; multa proinde euenire poſſunt incommoda, nec tamen Saccharo aſcribenda, vt potè innocenti.

Monita circa quaſdam difficultates ſuperandas.

EXoptantes oppugnare, vel mitiorem reddere morbum adeò ferocem, neceſſarium eſt abſolutè, firmitèrque credendum, obnoxia & mortalia eſſe vina generoſa, acetum, cæteraque acidum multiplicantia, & exaltantia. Neglecto iſto præcepto, & ſi remedium ſe ſe eximium in Arthritide præſtet, irritus erit illius vſus.

ine diſtinctione non eſt conſideranda viſcoſitas; verùm animaduertendo, quæ pura lympha craſſa, vt in ſenibus obſeruatur; & quæ ab acido coagulante ſuam trahit originem.

Ubi

Ubi prima abundat, hoc remedium eſt omittendum: vbi ſecunda, generosè adminiſtrandum. Iſtiùs viſcoſitatis ſuperato acido, tenacitas euaneſcit, & fluibilis facta, euacuationi etiam facilè cedit; ſiue per aluum à ſoluentibus promoueatur, ſiue à diureticis per vrinam impellatur. Hæc eſt ratio, cur in aſthmate ab acido dependente, per opportuno ſit auxilio Saccharum Lactis: cur nodoſam ſuperet Arthritidem, vbi videlicèt tumores nondum in gypſeam fixati fuere materiam, adeò vt verè putrefacta ſit: in quibus vero coagulata ſit, permanentem afficiat tumorem: quæ veritas experientijs approbata eſt.

Methodus & Doſis pro recta adminiſtratione Sacchari Lactis.

INnocuum certè eſt remedium; adeò vt ſine noxa ter quaterque in die voratum fuerit. Dracmam nihilominùs eſſe eiuſdem doſim determinatum fuit, quæ ad libitum adhiberi poterit. Urgente neceſſitate ob ſummam cauſarum actiuitatem, aut earundem confirmationem, bis etiam in die vorandum;

randum. Quia ſuaue eſt Saccharum determinato tempore non præſcribitur. Aſſumentes implicati non ſunt difficultatibus concomitantibus vt plurimum cætera remedia.

Etſi ex lacte paretur, nec aceſcit, nec coagulatur, aut corrumpitur. Conditiones ſummæ conſiderationis in Lacte non obſeruatæ: quod huiuſmodi ſubiacet periculis, exacta quamuis bibatur diligentia. Ante cibum bibi poteſt diſſolutum in iure calido; vel prandio & cœna pulmento permixtum. A multis comeditur, ac ſi panis eſset, in minutas partes trituratus. In Caffè loco Sacchari communis, aut in aqua calida diſſolutum bibitur; in qua eiuſdem ſuauitas perbellè percipitur.

Quia vt plurimum obfuere arthriticis euacuantia, iſta negligebantur. Saccharo autem Lactis vtentibus inſenſa non ſunt; quin imò experientia confirmatum eſt, lubricam ſeruando aluum, maius beneficium conſecutos fuiſſe ægrotos. Ab vſu iſtius remedij eneruata acredine, ſolutiuum non excitat orgaſmum in ſuccis, vt turgeant, & acuantur. Ac euacuatis excrementis à Saccharo dulcificatis, ab eodem ſine obſtaculo multò faciliùs validiùſque peculiaris producitur effectus. Neceſſarium ergo erit, quod ab experientia confirmatum

matum eſt, aliquo blando euacuante expurgare corpus à dulcificatis excrementis; quæ ſi lædere vt acria non valent, Saccharum tamen implieare, & inquinare poſſunt.

Animaduerſiones circa Sal Seri dulcificati.

A Lacte & Sero ſeparatur Sal acidum, quod ſpoliatum ab impuritatibus, dulce comparet. Etſi guſtui tale percipiatur, haud ideò ſuccos dulcificat acres. Semper Salis meretur nomen, quod corpus aridum exprimit: exſiccatiua proinde vi pollet, arthriticis per multum inſenſa. Cùm talia nil aliud ſint, quàm Sal acidum alKalicis vnitum, ab inuicem iſtis duobus in corpore ſeparatis, certum eſt, quòd ancidum conſimili morbo vnietur; vt inimici hoſtilitates exerat, quod in auxilium intromiſſum fuit.

Ob iſtam non tantum conſiderationem ab Arthriticis reijci endum eſt Sal Seri dulcificatum, ſed & quia parte Butyroſà ac Caſeoſà orbatum, iſtas nequit partes corpori imprimere. Nemo dat quod non habet.

Si actuali dulcedini guſtui cognitę ineſſet dulcificandi poteſtas, ſaccharum commune, mel, &c. hunc producerent

rent effectum. At ab iſtis, conſimilibuſque manifeſtè exaltatur, multiplicaturque acidum; conſimile enim acidum ſub dulcedinis velamine latitat; vel melius dicetur, ſapor dulcis eſſe acidum modificatum.

A parte butyroſa, expurgata ab acredine, & à caſeoſa, acidi acuties infringitur; quibus cùm orbatum exiſtat ſal ſeri; dulce, toto cœlo à Saccharo lactis diuerſum eſt. O quam riſu dignum eſſet, ſi ab inuentore Sacchari Lactis, expoſita Reipublicę Medicæ lucubratione de ſale ſeri agente, inuentum nouum hoc eſſe celebraret; dum antiquis fuit, neotericis etiam rudioribus Pharmacopolis notiſſimum. Tempore debito legentes methodum philoſophicam conuertendi Lac in Saccharum, nouiſſimum eſſe remedium confitebuntur.

Signa diſtinguentia Sal ſeri dulcificati à Saccharo Lactis.

CORpora diuerſo temperamento donata curari poſsunt quatuor differentijs Sacchari Lactis. Medicus ergo

go methodum conuertendi lac in puluerem callens, iſtis præmunitum erit.

Sal ſeri dulcificatum talem habet dulcedinem, vt Saccharo communi perſimilis guſtetur. Dulcedo autem Sacchari lactis multò remiſſior eſt dulcedine Sacchari communis: nec non correſpõdet grato ſuauique ſapori Lactis, quod non percipitur in Sale ſeri.

Sal ſeri ab aqua frigida facilè diſſoluitur; non ità Saccharum Lactis. Pars namque pinguis caſeoſaque reſiſtentes aquæ frigidæ, calidæ cedunt.

Quantò magis ſal ſeri à ſordibus expurgatum erit, tantò albidius obſeruabitur. Non ità ſaccharum ritè præparatum, vtpotè aliqua flauedine ſemper tinctum; quod nempè parte butyroſà orbari prorſus non poſſit.

Saccharum Lactis facilè contrahit ſebaceum ſaporem; multòque promptiùs ſi in aliquo obturato detineatur vaſe. Aeri expoſitum tractu temporis iſto ſpoliatur odore, & perficitur, cùm cætera corrumpantur corpora.

Ut de ſtatu ęgri diſtincta formetur notio, infraſcriptus eſt ſequendus ordo.

CVm ex methodo ſint præſcribendæ tres Sacchari Lactis differẽtię, curãtem

tem erudire oportet, quale ſit patientis temperamentum, ætas, corporis ſtructura, nec non quantum temporis fluxerit, ex quo arthritide vexetur. An in omnibus item, an aliquibus partibus affligatur: quoties in anno, & quibus temporibus irruat fluxio. An acerbi ſint dolores, cum vehementi calore, rubore, & febre; an verò omnia moderata perſentiat. Quàm diuturnus ſit curſus fluxionis vt in lecto æger decumbat. An antiqui tumores partes occupent, iſtique ſint molles, an gypſei. An hæreditaria ſit Arthritis; an verò ab erratis trahat originem, aut quia ſuppreſſa ſit aliqua conſueta ſanguinis excretio à naribus, hemorrhoidibus &c. Numquid acidus ſapor, ſalſa fluxio moleſtiam inferat palato. An fluens ſudor æſtiuo tempore acidum ſpiret odorem. An copiosè, vel parcè per aluum quotidie expurgentur excrementa; ſicque per lotium abundantèr excernantur ſeroſitates. An nunc itèm talitèr res ſe habeant, vel iſtarum aliqua ſuppreſſa ſit. Numquid ventriculus lacte abhorreat, aut ex componentibus partibus aliqua, butyro vel caſeo.

Victus regimen in Arthritico ſeruandum.

SIcuti quorundam ciborum vis quibuſdam temperamentis adeò eſt infenſa, vt vel morbos introducat, aut natos foueat; ità ciborum alijs innata eſt facultas eoſdem ſuperandi, aut coadiuuandi remedia, vt faciliùs citiuſque oppugnentur. Quocirca in tantum valet victus regimen, vt ab Hippocrate expreſsum ſit, *multa curantur diæta, quæ arte curari nequeunt*: axioma experientijs comprobatum. Ab Arthritico igitur conſideranda eſt ciborum quantitas, & qualitas; vt ijſdem ſubmittatur, non exaletur acredo, arthritidis mater.

Inter carnes vorandas optima eſt Uituli, Agni, Hædi, Palumbi, & Capponis iunioris: caro animalium in ætate conſtitutorum fugienda. Auiculæ, Coturnices, Phaſiani, Perdices, Turdi in pauca quantitate permitti poſsunt.

Utilior ſemper erit caro elixata; nam aſſa improbatur. Pauca autem portio oſsibus adhærens vorari poteſt.

Omnis caro animalis in ſenectute conſtituti, ſale condita, fumo exſiccata, aromatibus condita, acidis oblectans, de-

deſerenda. Pauca portio ſucci limo-num, arantiorum non reijcitur.

Optima ſunt oua tremula, in iure co-cta, & butyro leuitèr in ſartagine aſsa-ta. Permittitur Recocta recens Vac-cæ, Pecudis, & caſéus recens; peſſi-mus verò inueteratus.

Pulmenta parari poſsunt ex Endiuia, Lactuca, Beta, Boragine, Hordeo, Orizza, Fare, nec non ex tritici fa-rina fabrefacta in Apulia, & Ge-nuæ.

Inter fructus Fragæ, Armeniacæ, Ce-raſæ, Pira, Poma dulcia, Pepones, Anguriæ, Uua, & aliqui Fici con-ceduntur; dummodò omnes maturi ſint fructus iſti, & in pauca quanti-tate comeſti, ſudo Cœlo, non au-tem pluuioſo collecti.

Damnum inferunt, ſiuè crudæ, ſiue coctæ ſint, & per ſe, & in condimentis, Cepę, Allicum, Feniculi, Aſparagi, Carduus, Carduus hortenſis.

Cùm maximè in vſu ſit, quotidieque copiosè bibatur vinum, hìc denuò repetitur, generoſum eſse abſolutè peſſimum, quod ab Arthritico eſt ab-ſolutè deſerendum; acidum quippe acutiſſimum continet. Quo tenuius propinabitur, multa nempe aqua di-lutum, tantò præſtantius.

Peſſimum pariter eſt acetum: aceta-rium nihilominus non prohibetur, dummodò ſit ex herbis, Lactuca

nempe, Endiuia, Cichoria, Boragine; non autem ex diuerſis compoſitum herbis calidis. Obſeruandum autem eſt, partem acetarij in ſuperficie poſitam comedi poſse, relicta portione in fundo Lagenæ iacente, multo aceto imbuta.

Olei aciditas eſt retundenda: tantæ enim eſt acutiei, vt rubra corallia, ſi in ipſo ebulliant, alba euadant, & rubro tinctum colore oleum remaneat. Ob id malæ conditionis ſunt cibi, qui aut frixi fuerint in oleo, aut in eodem aliter cocti cum pauca portione aquæ. Si autem oleum in aqua communi bullierit, multùm eiuſdem aciditas retunditur; ni denuò ignis violentiæ èxponatur. Ita præparatum pro acetario opportunum erit: miſcerique poterit pulmentis coctis ex pane, herbis, ciceribus rubris, albis, &c.

Inter piſces Sturio, Turtur, Carpio, Aurata, Mullulus, Solea, Aphia, Oſitæ, Studis, Ranę in aqua fluuiatili enutritæ. Piſces ſquamis obducti, in aqua paluſtri vitam degentes, omnes peſſimi.

Etſi Butyrum recens ſit lactis ſuauior dulciorque pars, piaculum forſan videbitur aſserere, acredinem in ſe continere. Sal ergo tantæ acutiei coniunctum habet, vt parum à cauſticis diſtet. Iſto ergo ſpoliandum Butyrum,

rum, ſæpiùs illud abluendo; donec dempta flauedine, album compareat.

Omnia aromatibus, & Saccharo communi condita in pauca quantitate ſunt voranda. Cùm aliqua portio ſacchari adhibenda fuerit, album ipſum, non depuratum eſt eligendum. Illud namque, quod præſtantiſſimum creditur, ita vt condiendis epulis apud conuiuas præ altero eligatur, ſanitati peſſimum eſt, vtpote aqua calcis elaboratum.

Quantò minor erit ciborum copia, & diuerſitas, tantò prandium correſpondebit optimo viuendi regimini. Tranſactis horis cœna inſtituenda parciſſima.

Hilari animo viuendum: nec in motu, quiete, ſomno, vigilijs excedendum.

Sicuti vt plurimum in Autumno, Hibernoque tempore Arthritici fluxionibus ſubiacent, ità obſeruandum, ne repentè irruente frigore, corporis poroſitates conſtipentur. Diligenter proinde veſtibus muniendum corpus, queis frigoris iniurias euincat.

Antipodagricum Locale.

BAlſamum coloris ferè ſanguinei curandæ Arthritidi maximum præſtantiſſimumque auxilium nunc demùm inuentum eſt. Non narcoticorum, Lactis, lotique Butyri, cæterorumue anodynorum, aut repellentium more partem ſtupefacit, incraſſando, fixando, aut repellendo fermentum arthriticum: Uerùm inſenſibilitèr reſoluto iſto, vel manifeſtè erupta ſeroſitate (vt obſeruatum eſt) *CITO, TVTO, ET IVCVNDE* acerbiſſimos euaneſcere cogit dolores, ab omni incommodo libera remanente parte. Ità tamen, vt quo volatilius excrementum, eò facilior fiat reſolutio; quò craſſius, eò moroſior.

Huic additur Aqua inſipida, & ipſa eiuſdem coloris, vltimum pro oppugnanda Arthritide complementum. Hæc non ſolum facilè, citò, tutò, & iucundè ædematoſum (etiam ſi cum dolore) diſcutit tumorem arthriticum; verùm in gypſeum leuitèr concrefactum excrementum diſſoluit; immuni aliàs remanente tumore, qui iam diù petrefactus reperiatur. Sicuti hęc aqua contra gypſeam materiam potens eſt, ità contra coagulatum ſuc-

cum

à portione ſecreti, ſiue Ouaria, quod poſteà ſucci neruei corruptela, aciditate acquiſitus, eſſentiam ditet ad aptitudinis generatiuæ in perfecta generatione ſimilitudinem, eos accendens, & fæcundans, diuerſam indolem ſpuriam tumultuantium compaginat Salium, maiori miſeri Patientis detrimento, perquè nouam particularum agitatarum luctationem fluctuationemque maximam membranæ, nerueæque Fibræ remanent euidenter vellicatæ, quæ in vehementiſſimos vertuntur cruciatus, a ſanguinis maſſa deponendo originem, & ſucci neruei excremento actiua redditur.

Clariùs Helmons: aſſerit, quemdam podagricum caracterem, ſic ab ipſo denominatur, imprimi, ad ſedem in Articulis ponendam, idoneum Vitium ſeminis Progenitorum gignentem, ſubijentemque, temporiſque diuturnitate latitantem, quouſque ſanguini indito acore, qui poſteà ſublimatus ad eas partes diffunditur, fermentationeque promota, vitium podagricum ſuum in Articulis occupat ſitum.

Magis emphaticè Quercet: teſtatur, eſſe Tartarum in internodijs congeſtum, quod noui humoris acidi ebullitionibus fermentetur, ſicuti viuæ Calci ob aquarum ſupereffuſio-

nem contingit.

Nullam Sylu: Laboë ponit hæſitationem; quia ſeroſitates iſtæ non tendant ad excruciandos articulos, quoniam Grandulæ omnes, internodiaque Corpora facillimè ſalſam lympham excipiunt, autumatquè, poſse Pancreatis grandulas lædi.

Omnes in Arthriditis origine conſentiunt Auctores, acorem eſſe ſublimatum, exinde pręcipitatum, prout Illuſtriſſimus D. Tozz. de huiuſmodi morbo concludit.

Quælibet pars humorem exhalat, & recipit, at illum vigore ſuo per tranſpirationem emandat; partes autem Corporis cammerales, & articuli, ob earumdem imbecillitatem, ac frigus, ſicuti & per glutem, quam in ſe colligationes, tendineſque continent, non ità ad tranſpirationem apti ſunt.

Ponderando quammaximam Arthriditis pertinaciam, dici etiam poſſe opinor, ipſius humoris peccantis genituram à tenaciſſima Diſcraſia ad ipſius genituræ fomentum originem trahere; licèt iſto, aut corroborato, aut perdomito illæ ipſæ lymphæ ad ſuam in Articulis ſedem ponendam, contagium reddendi ipſum, à quo producuntur, temperamentum ſecum ferant.

Si Cauſarum diuerſitas effectuum producere

ducere debet varietatem, concluſiuę difficilior efficitur curatio; magnam profectò huius tàm præclari medicaminis effectus gignunt admirationem, prout experimento compertum eſt, validitatum per proprium fundamentum reddendi Sanguinem dulcificatum, & aurum potabile noſtræ vitæ, ſalubris exoritur; poſſe abſque aliarum partium Corporis læſione eduſcurari.

Plus quam certus eſt neceſſarius Sanguinis curſus, ſuiſque in Canalibus portiones lymphaticas ſecum fert, vt ibi eum maiori promptitudine agiliorem reddant, qui, cum dulcis ſit, abſque humidi portione remoram efficeret, id eſt curſum ipſius cohiberet, adiectiſquè materijs, diſtinctis à bono alimento in actu ſecundo, per ſuas percolationes omnem impuritatem deponit; provt dè Podagra dicere poſſumus; quod quando in circulatione portat nutritionem partibus, ſeù ad proprium alimentum, ſiuè vt eas viuificet, & ſpiritu donet, lymphas excrementitias deponit, acutos dolores cauſantes, & quandoque vitiatas etiam propriæ naturæ partes, abſquè eo, quod proprio ſanguinis ſiſtemati culpæ tribui poſſit; dùm iſte ſe mouet, & poteſt ſe mouere, idemque ipſæ quoque ſperantur, cum hoc tamen

diſcrimine, quod eſſentia cum earumdem ſuperfluitate verificatur, & propter earum aptitudinem ſanguinem vappidum facit; eo quod earum commercium non complectitur, eaſque cum indiuidui detrimento excurrere finit; non idcircò exiſtentia & imminuta, & commaculata remanet; quia eis cum ſuo maiori præiudicio, & corporis vtilitate diſſoluantur, eluſoriæ, & inanes redduntur, iſtùmque purificatum, atque permeabilem.

Dulcificans Inuentum deſeruit ad reddendam magis balſamicam ſanguinis maſsam, eamquè in ſuo proprio natiuo eſſe ſeruandam, quod idem eſt, ac eam magis fouere, & ab acutie quandoquè repurgare.

Fallitur quiſpiam, & hallucinatur cum Sale Seri, quod lactis Sacchari vicariam vim habeat; dum illud Priſcis, multò magis Neotericis Medicis cognitum, detegitur Corpus aridum abſque neceſſarijs con diitonibus; cum ſit acidum Kalcalicis concretum; dum iſta in noſtro corpore ſeparata remanent; certum eſt, illud per acidum morbo ſimili fore copulandum, illudque acuturum, cum id paucis Kalcalicis impediri nequit, quod apertè cum miſeri arthritide laborantis detrimento contingit, & cum euidentiſſimo experimento Sal

Seri ſimplici liquido lenteſcit, ac liquatur, & lac Sacchareum nunquàm diſsoluitur, niſi fluido caleſcat, cum pars vntuoſa reſiſtat.

Non influit in Sale Seri pars nutritiua, & propria dulcificans, ſed ex diametro oppoſitum, cum Serum maiorem ferat ariditatem, & à ſuo tantò faciliore, quantò doloſiore, conſtructione omni neceſsaria, & nutritiua priuatur, iiſque detractis, Corpus noxium, & aptum remanet ad exitum cuilibet Arthritico generandum.

Nequè pro catholico medicamine propinari poteſt, ſicuti benè nos monet Hypoc. (quod differt Corpus à Corpore, Temperamentum à Temperamento, Ætas ab ætate &c.) & ſi nimis cupidè cuiuis applicetur temperaturæ, omne malificentiæ genus inferre poteſt.

Cum Lactis Saccharum multifariàm fabricetur, & iuridicis, palpabilibuſque rationibus frui optata nos tàm validi medicaminis ſubſiſtentia faciat

Dici profectò poteſt, Lacteum Saccharum proprium eſse & verum vnicuique naturæ dulcificans, cum adinſtar ſpongiarum ſuccos acres, mordenteſque non abſorbeat; ſed cum liquabile fit, ac mutabile in carnem, intimè ſe inſinuat, & eneruat acu-

tias,

tias, & tranſeundo in ſanguinem, exoptatam introducit dulcificationem, iſtoque pacto facilius, & firmius fermenta peccantia corrigi poſſunt, quàm à cruſtaceis mineralibus, ſemimineralibus, &c. cum hæc ſint mera productorum abſorbentia, non autem radicis producentis correctiua.

Cum rationibus huic excellentiſſimo Arcano conſentaneis, tribus ab hinc menſibus ſumma cum laude, peculiarique vtilitate, fuit per me deductum ad praxim in Reu. P. F. Bernardo dè Montefalchio ord: minor: ſtrict. obſeru. in hoc Cænobio Montis Sancti Tuderti, qui cum decem Annos ſuper religioſum ſtratum, quaſi clauis affixus decubuiſset, abſque eo, quod ob aſſiduas fluxiones naturalem artubus motum dare poſſet, Diuinam pijs clamoribus implorabat aſſiſtentiam, vt magis per tolerantiam mereretur, cum relata ad eum egregiarum tàm excelſi medicaminis operationum fama, & vt illud ſumeret, auctor fui, ac plenitudine voluntatis, promptaque obedientia operi ſe accinſit, executuſque quidquid prudentèr pro eiuſdem vſu preſcribebatur; tanto nunc ſe beneficio affectum reperit, vt non tantùm omnibus motum membris præſtet; ſed ſperet, proſequendo, ſe

denuò

denuò in Sacroſancto Sacrificio gratias innumeras infinitæ acturum Maieſtati, obſequioſaque Tributa exhibiturum. Erigit ſe ſe in pedes, & eliquatis cunctis gypſeijs tumoribus, quibus eius palmæ turgebant, ac vno præſertim calcinoſo in dextero cubito ad oui magnitudinem, inſaniei formam diſſoluto, & lenteſacto: quapropter vitæ ſe reputat reſtitutum, cum in aſſiduis, moleſtiſque doloribus dies ageret. Unuſquiſque lucem Solis ſplendere, & ſuper cænum ferri, nec fædari credere debet; ità mihi videtur adhibenda fides excellentiæ huius egregij medicaminis, iugibuſque encomijs Auctor concelebrandus, cui ob meritorum celſitudinem, ſcientiæquè profunditatem celeberrimi nomen, & perſpicaciſſimi humanæ conſeruationis effectoris decernatur, & ad perennitatem me voueo.

PRÆ-

PRÆSTANTISSIMI Medici Parmenſis Elucubratio.

NVperrimum Saccari Lactis inuentum, quo medica Reſpublica in dies illuſtratur, ope, & ingenio celeberrimi Viri Ludouici Teſti nobis innoteſcit. Saccarum iſtud liuoris amaritudinem non modicam ſuſcitauit, aut ad imminuendam Authoris famam, vel ſatius, meo iuditio, ad augendam, propagandamque. Tale inuentum, vtpotè circà Herculeum morbum verſatur, Artritidem putà, primo adſpectu conciliare ſibi fidem non poſſe videtur, quantam continuò promittunt eius portenta in innumeris ab Artritide vindicatis. Tamen ſi rem attentiùs perſcrutabimur votis omnibus, & inuenti, & Inuentoris mentem conuenienti admiratione proſequemur.

Lacte nil magis familiare, ac omogeneum animali inuenitur. Præcipuè hoc manifeſtum fiet, ſi eius ſubſtantiam, temperiem, & vſum attentè perpendemus.

Quoad eius ſubſtantiam, ſi hanc latiùs,

cum, in peruerſos tumores protuberantem, remedium ſe præſtat. Recentem quippè ac ſuborientem tumorem citò iugulat; adultum etiam, non verò inueteratum, debito tempore exterminat.

Ne irrita ſit remediorum operatio, tritum eſt axioma medicum, æqualia morbo debere eſſe remedia. Etſi in reſoluendo fermentum podagricum pauca Balſami quantitas aliquando ſit ſummæ actiuitatis; attamen in quibus magnus eſt aut ſanguinis, aut acerrimorum ſuccorum apparatus, obrui facilè poteſt illius virtus, vt tam mirabilis reſolutionis effectus nec tàm citò, nec tàm facilè obſeruari poſſit. In iſtis caſibus, non illicò, ſed poſt diem vnum completum, applicandum eſt Balſamum: vbi enim excrementa orgaſmum excitantia confluxerint, tunc facilè fuerit huic remedio reſolutionem promouere. Manifeſta ſudoris eruptio, obſeruata in pleriſque podagricis, ab iſto Balſamo fermentum reſolui podagricum, citra dubium conuincit. Cùm ſeroſo excremento viam patefaciat, multò faciliùs eandem reſerabit tenuiori, & volatiliori: mirum proinde non erit, ſi non erumpente ſudore, dolor euanuerit.

Fluentes ſuccos non impediens Balſamum, nec incraſſatos tumorem ef-

for-

formantes reſoluit : Uerùm ſolum diſsoluit fermentum podagricum vt plurimum tenue exiſtens excrementum.

Inuncta parte debito tempore, & neceſsaria Balſami quantitate, dolor vltra quartam horam, propriam nequit violentam tyrannidem exercere. Si qua mitis perſeuerat moleſtia, ſecunda Balſami inunctione euaneſcit.

Tales præſtantiſſimi effectus hactenùs obſeruati fuere; qui hoc Balſamum tam diù exoptatum Arthritidis antidotum eſſe demonſtrant.

COMPENDIVM
Noui ſyſtematis prælo ſubijciendi, cui titulus erit:

LACTIS Anatomia.

TErram nouam, dum lactis quaſi Mare percurro, non tam oblectando guſtui, ac iuuando corpori inueni Saccharo inuiſo fęcundam: quàm excitandis ingenijs ex diuerſitate plantarum amænam. Ut totam perluſtrare facile mihi foret, ab explicando Hyerogliphico Ægyptiorum, qui Naturam ſub ſpecie fœminæ vberibus plenam efformarunt, exordium ſumpſi.

Contra ſentientes, lac ſuccum eſſe ſuperfluum, contraque alios excrementum vtile profitentes, præſtantiſſimum eſſe alimentum declaro.

Nullius ſectator ſententiæ, nec decidere ſtudens, an lac in mammis purus ſit Chylus, an ab vtero ſanguis refluus; quodcunque probabile mihi videtur, probabile teneo. Uerùm in-

infantem in vtero lacte ſolo nutriri, hocque in maſſa contineri ſanguinea, cum Hippocrate ſubſtento.

Qualis natura lactis, tale temperamentum moreſque ſubſequi, antiquorum placitis & obſeruationibus probo. Ad hoc firmandum, præexiſtere debere in lacte oleoſam ſubſtantiam, ex qua humidum effici poſſit radicale in benignos ſpiritus reſolubile, qui vniti ſub caloris naturalis nomine veniunt, oſtendo.

Inſufficiens eſſe ſemen, quod tantam ſubminiſtret copiam oleoſæ ſubſtantiæ; ſed ad fermentum inchoante vita inſeruire, declaro. Conſimilem oleoſam ſubſtantiam à ſolo lacte extrahi concludo.

A lacte reſtaurari poſse in iuuenibus humidum radicale quandoque, nunquam verò in ſenibus; ſicque à ſolo lacte omnia in corpus fermenta introduci, ratione, experientijs, & Galeni auctoritate (Hippocratis altera, quam ipſo ſtatim initio refero, conſonante) commonſtro.

Iterum quale lac, tale temperamentum & mores; nec non ſolum lac opportunum eſſe nutrimentum infantis, in vtero exiſtentis, confirmato opportunè aſſumpto, & præſtantiam Lactis in genere terminando, concludo.

Quanti ab Hippocrate Lac factum ſit, nu-

numeratis non paucis inter ſe prima facie oppoſitis affectionibus, ab eodem Lacte vt vnico ac præſtantiſſimo auxilio oppugnatis, enarrans, finem facio.

Ad partes poſtmodùm lac componentes deſcendens, de Butyro in primis ago. Cùmque in vaccini Lactis gratiam hæc inſtituta ſit elucubratio, antequam ad eiuſdem Butyri particularem deueniam anatomiam, priùs conſidero, in ouino Lacte Butyrum copiosè ineſse: dein, cùm arte nulla extrahi poſſit, vbi abſumatur, ediſsero. Contrà in Caprino vix ad modicam portiunculam ſeiungi: nullam verò in Aſinino apparere.

Ægyptiorum ſymbolo inhærens, Uaccam Veri, Ouem Æſtati, Capram Autumno, Aſinam Hyemi comparandam eſse demonſtro.

Ad Vaccæ Butyrum reuerſus, cur in Vere flauus color inſit: in Æſtate autem remittatur, in Autumno euaneſcere videatur, in Hyeme verò occultetur, inquiro. Talis coloris cauſa adinuenta, quæ abs terra eſt, illam in herbarum, fructuumque ſuccis, adòque in Lacte contineri, diuerſis patefacio experientijs. Immò non ſolùm Butyro impertiri colorem, verùm in plantis primam recipere fermentationem, mox in animalis viſceribus filtrari & dulcificari, eòrumque

rumque humidi radicalis, caloriſque naturalis fundamentum eſſe, declaro.

Quibus firmatis, ab eadem paritèr cauſa maſsam tingi ſanguineam, dequè illius exiſtentiæ cognitione, ſiue ſuperabundet, ſiue opprimatur, ſiue deficiat, multis hactenùs ignotis, in ſignis redditur ratio.

Eandem, (cùm in quibuſque corporibus exiſtat) dum in ouo à fermentatione exagitatur, punctum efficere ſalientem: dum in maſſa agglomeratur ſanguinea, globulos rubros natantes mycroſcopio obſeruatos efformare: dum in corpore fixatur, Melancholiam nominari: demum dum attenuatur, Bilem vocari, manifeſto.

Etiam qua ratione in ſolo Hepate abſque fermenti ope naturalitèr ſeparetur, experientia ex Lacte hauſta, ſuo ordine deſcribo. Solutiſque notabilibus obiectionibus, ad partem caſeoſam conſiderandam me transfero.

Caſeoſam partem ſpernendam non eſſe, contra eos, qui adeò corpori infenſam exiſtimant; immò ſiue vt remedium, ſiue vt nutrimentum conſideretur, ſi recens fuerit, declaro eſſe vtilem.

Hæc in caſeum redacta vetuſtum, quibus conueniat, quibus verò non, diſtinguendo, nec abſolutè reijciendam, nec laudandam aſſero: quæque ad

illam

illam in caſeum fixandam concurrant, veramque non eſse fixationem, oſtendo.

Ratione & experientia paucam terræ portionem, copiam autem alKalicorum continere: Itidèm ſine concurſu partis caſeoſæ humidum primogenium, caloremque naturalem facili negotio reſolui poſſe, detego: Vnde & ex iſtius defectu partes non augerentur ſolidæ; firmæque à nullo alio redderentur ſucco.

Sicuti experimento terream non eſse patefeci, ità eodem ordine panem copiosè terra abundantem pandendo, cognoſcitur, cur omnis repletio mala, panis autem peſſima, Nonnullis circa caſeum enodatis diſſicultatibus, cur caſeoſæ ſubſtantiæ butyroſa ſit vnita, nec non quid coniunctæ cooperentur, explico.

Ad tertiam Lactis partem, ad ſerum nempe expandendum tranſeo; multiſque circa hoc factis conſiderationibus, ad nutritionem ineptum eſse concludo.

Recoctam eſse partem caſeoſam, butyro autem plerumque ſpoliatam; curuè ſit talis, in caſeumque non conuertatur, enarro.

Cur ſerum ſale acido ſit imprægnatum, flaueſcatque; iſtud autem vrinam eſſe violentèr ſeparatam: & cur eundem odorem, ſaporemque non ha-

beat:

beat : quomodò itèm in lacte, ſeroque tale ſal reperiatur acidum. indigito. Iſta ſeri occaſione, maxima iam circa bilem orta difficultate, acidam eſſe prolixiùs explico.

Circa ſal acidum in ſero contentum, nec non eiuſdem permutationem in dulce, aliquibus habitis conſiderationibus, ad Lactis tandem in Saccharum conuerſionem deueniam, (ſcriptis nec dum exaraui ſecretum) eiuſdemque tres fabrefaciendi differentias ſine ambagibus, & apertè declarabo, ordinemque docebo.

Hæc in multis ſophorum myſterio conuenit operatio. *Menſtruum quippè à Chaos extrahendum, à terra damnata, ſulphureque impuro liberandum: quibus omnibus ritè, rectèque peractis, nec non cæteris debito modo diſpoſitis, Sacchari Lactis poſtmodùm in infinitum fieri poteſt multiplicatio.*

Non nullas adiungam quæſtiunculas, à quibus expeditus, ad rariſſimas deſcribendas obſeruationes de Saccharo Lactis factas, vltimò me conuertam.

IL FINE.